

VESTIGIA

VITAE NOMADICAE,

TAM IN MORIBUS QUAM LEGIBUS

ROMANORUM

CONSPICUA.

VESTIGIA

VITAE NOMADICAE,

TAM IN MORIBUS QUAM LEGIBUS

ROMANORUM

CONSPICUA,

CURA

G. DORNSEIFFEN,

PHIL. THEOR. MAG., LIT. HUM. ET IUR. UTR. DOCT.



TRAIECTI AD RHENUM,

EX OFFIC. IOH. ALTHEER.

MDCCCXIX.

L. S.

Quum ſaeculo decimo quarto Viri Docti ad indagandum ac perſcrutandum, quidquid res et nomen Romanum ſpectabat, ſumma cura atque induſtria ſe accinxisſent, permulta a ſordibus, quibus multorum ſaeculorum barbaries ea inquinaverat, purgarunt, in lucem protraxerunt, atque ita ad ſummum ſplendorem pro eo tempore ut literae Romanae redirent, omnem navarunt operam; attamen haud pauca intacta relinquere coacti fuerunt, quae posteriori demum tempore e tenebris emer-

gerent; non vero ante, quam multi varias nomadicas gentes adierant, harumque mores ac instituta inter se et cum priscorum populorum moribus ac legibus comparaverant, ad nostri argumenti certitudinem perveniri potuit, Romanos prius, quam ad civilem societatem transiissent, nomadicam vitae rationem fuisse secutos, quapropter non inutile putavi omnia investigare et ea congerere, quae priscae nomadicae vitae tam in moribus quam in legibus Romanorum remanserunt et, quibus temporibus singula aut sensim mutata, aut aliis civilibus legibus abrogata fuerunt, commonstrare. Hinc autem multum lucis et Romanae historiae et iurisprudentiae accendi, quis non videt? Quum enim Romanae reipublicae annales evolvimus, plerosque Romanorum aut suae ipsorum originis imperitos, aut inani superbia hanc ignorari prae se ferentes, ea regum et posteriorum legislatorum curae ac studio tribuisse videmus, quae non nisi priscae nomadicae vitae originem debent, quamobrem mirum videri haud potest, permultos huc usque in antiquis moribus ac legibus Romanorum interpretandis, iureconsultos aliosque, de Romanarum literarum studio ceteroqui bene meritos viros, aliam rationem secu-

cutos, in multos incidisse errores, quos quidem evitare haud poterant, plurima vero explicari non potuisse, quae, huius nomadicae vitae ratione habita, iam cuique satis sunt aperta, et multis aliis rebus lucem afferunt. Uti autem nulla gens, ubicunque invenitur, tam plane nomadice degit, quin et barbarae, quam antea secuta est, vitae vestigia simul adsint, sic quoque in Romanorum moribus ac legibus multa, ad vitam barbaram spectantia, retenta esse constat, quae omnia separare, et quid ad barbaram quid contra ad nomadicam vitam pertinuerit, sigillatim tradere difficillimum fuit, cum mores, leges, sacra tredecim fere saeculorum ab origine repetenda, et cum antiquarum et recentiorum gentium nomadicarum institutis essent comparanda, quapropter in tanta rerum copia nonnulla, a barbaris moribus ac institutis potius derivanda, huc quoque collecta esse, evitari vix potuit.

Ceterum si qua, in argumento tam late patenti, reperiantur omissa, quae ad nomadicam Romanorum vitam referri queant, in memoriam redeas velim Columellae sententiae (1): In

(1) De Re R. L. 5. c. 1. §. 2.

In magna ſylva boni venatoris est indaganter feras, quam plurimas capere, nec cuiquam culpae fuit non omnes cepisſe: Id nobis ſatis abundeque est, tam diffuſae materiae, quam ſuſcepimus, maximam partem tradidisſe. *Vale.*

Idibus Iuliis
1819.



SUM-

SUMMA RERUM.

INTRODUCTIO.

Caput Primum.

De vita nomadica.

§. 1. De vita Barbarorum.
§. 2. ——— venatoria.
§. 3. ——— pastorali.
§. 4. ——— agricolarum.

Caput Secundum.

De priscis Italiae gentibus nomadibus.

§. 1. De vetustissimo Italiae statu.
§. 2. De Aboriginibus et Albana gente.
§. 3. De vitae ratione Aboriginum.
§. 4. De Romanorum maioribus, pastoralem vitam agentibus.
§. 5. De terrae opportunitate ad vitam erraticam.
§. 6. De Romulo ac Remo, pastoribus ac latronibus.
§. 7. De historiae exemplis, priscam nomadicam Romanorum vitam testantibus.
§. 8. De Romuli agendi ratione, vitae nomadicae congrua.

C A-

§. 4.

CAPUT TERTIUM.

De sacrificiis humanis.

CAPUT QUARTUM.

De priscis poenis nomadicis.

PARS

PARS POSTERIOR.

Vestigia vitae nomadicae in rebus PRIVATIS *Romanorum.*

CAPUT PRIMUM.

De iure civili.

CAPUT SECUNDUM.

De iure domestico.

CAPUT TERTIUM.

De patrum potestate in liberos.

§. 6.

Caput Quartum.

De maritorum potestate in uxores.

Caput Quintum.

De potestate dominorum in ſervos.

Caput Sextum.

De gentilitiis ſacris et iure.

CAPUT SEPTIMUM.

De ritibus nuptiarum nomadicis.

VESTIGIA

VITAE NOMADICAE,

TAM IN MORIBUS QUAM LEGIBUS

ROMANORUM

CONSPICUA.



INTRODUCTIO.

Ita omnium populorum res est comparata, ut totae gentes instar singulorum hominum quasi educentur. Humanum enim genus, per longum temporis spatium ad humanitatem progressum, sensim et per gradus excultum atque perpolitum, ferociaque, quae a natura erat, deposita, tandem mitioribus moribus est ornatum; ita ut, quum, antiquarum non solum, sed recentiorum etiam gentium origines investigantes, ad primam earum vitae rationem adscendamus, omnes aliquando barbaram vitam secutae, omnes olim nomades fuisse probentur (1). Huius vero nomadicae vitae vestigia apud quemcunque populum eo diutius remanent, atque indagatu eo difficiliora sunt, quo constanti-

(1) Cf. Iselin, Gesch. der Menschh. I. D. bl. 183.

tius naturalem libertatem, quae e vita priore illis adhaesit, in civilem societatem transeuntes retinuerint atque servaverint.

Quum autem Romanorum historiam consulimus, non facile ad credendum inducimur, alium populum inventum iri, apud quem post tam varios casus, in tam diversarum gentium in unam conglobatione, post tam graves reipublicae mutationes, tamdiu tot et tanta vitae prioris nomadicae superfuerint vestigia; haec vero, quin libertati, quam per tot saecula integram et incolumem conservarunt Romani, adscribenda sint, quis dubitet?

Quandoquidem vero plura nomadicae vitae genera inveniuntur, humani generis sensim progressam culturam breviter contemplari operae pretium videtur, ut sic, comparatione cum priscis Italiae populis instituta, quo humanae culturae gradu Romanus populus primis certe reipublicae temporibus fuerit, facilius iudicari liceat; deinde, quaenam nomadicae vitae vestigia quoque tempore in eorum moribus atque legibus remanserint, ordine indagemus.

CAPUT PRIMUM.

DE VITA NOMADICA.

§. 1.

De vita barbara.

Primi mortalium muneribus, quae inviolata ultro ferebat terra, in qua oberrabant, vitam tranquillam sustinentes, hoc vitae genere ipsis brutis animalibus parum absimiles, nulli neque arti, neque ingenii culturae intenti erant; nemini enim aut animus in iniuriam erat aut caussa, cum in usus gentium non latrocinantium satis larga essent Naturae beneficia; verum auctae deinde hominum multitudini quum illaborata terra necessaria alimenta e gremio suo negabat, atque in omnium tutelam non amplius sufficiebat, urguente hominum necessitate, alia atque antea alimenta, quibus vitam sustentarent, quaerere coacti sunt; nonnulli itaque pro regionis, in qua degebant, et animalium, quibus abundabat, diversitate et fluminum marisve propinquitate, pisces, alii feras primo quidem, quae facilius capi se patiebantur, tum ferociores captare studuerunt, atque ita, pacis foedere, quod antea cum ipsa natura colebant, rupto, sensim ad vitam *venatoriam* transierunt et *Ichthyophagi* vel *Carnivori* facti sunt.

§. 2.

De vita venatoria.

In hac venatoria vita, in qua homo, iam maioris praedae capiendae in dies cupidior, pluribus artibus intentus est, pro capturae difficultate et periculo, cum pluribus venatoribus ſe coniungit ad mutuum ſibi vitae auxilium ferendum, atque communia, quae ceperint, inter ſe dividenda, et ſic ſenſim nonnullas conſociationes iam colit, quibus destinationi ſuae propius accedens, ſocietati civili ſenſim praeparatur; nondum vero in futurum proſpiciens, animalia, capturae fructus, ſtatim occidere et cum ſociis conſumere ſolet, donec tandem ex arboribus ac virgultis decerptos fructus in uſum futurum colligat et ſervet, atque ex animalibus ſilvestribus, quae posſit, deprehendens vivaque concludens, ad utilia vitae officia inſervire ea posſe, vel experientia vel caſu edoctus domet, manſuefaciat pluraque colligat, eorum lacte nutriatur, eorum pellibus corpus ab aëris intemperie defendat, tegatur ac vestiatur, dum carne largam et iucundam ſibi dapem parat (1).

§. 3.

(1) F. A. CARUS, Ideën zu Geſchichte der Menschh, S. 271. Varro de Re Ruſt. L. 2. c. 1.

§. 3.

De vita pastorali.

Dominium, quod ſic adquiſivit homo, tamquam alimenti ac vestimenti cauſſas grato quodammodo animo pluris aestimare iam incipit; pecora enim cuique barbarae genti prima divitiarum ſpecies ſunt, dum temporis progreſſu ubique coeli et terrae ratio homini praeſcribit, utrnm ſedem fixam electurus, an continuo cum ſuo dominio oberraturus, agriculturam, an pastoralem vitam praecipue ſit ſecuturus. Quo magis deinde eius animalia augentur, familiam, ad greges pascendos neceſſariam, quoque augeri ſtudet et, prata, pecorum alimento idonea, quaerere coactus, erraticam vitam agere incipit. Ut vero tuto animalia ubique pascantur, cum vicinis paſtoribus ſe coniungit et, quamquam nusquam ſtabilem figit ſedem, tamen ubiubi est, aliquam ſocietatem inire tentat, qua ſe cum aucta familia auctisque gregibus vel armentis ab aliorum iniuriis tutum praeſtet, aut facilius alios ipſe invadat, hosque e terris, quae ſe pastione commendant, in ſuum ac ſociorum uſum pellat.

§. 4.

De vita agricolarum.

Quemadmodum vero vita pastoralis ſemper quodam

dammodo cum venatoria est coniuncta, (1) ſic quoque agricultura cum utraque haud difficile ſe ſociat (2), licet transitus e vita erratica ad rusticam lentius procedat, quam e venatoria ad pastoritiam: ubi enim fertilia inveniuntur pascua, non facile ad agros colendos inducitur gens nomas, quia tum ſatis ubique, ipſa operante Natura, ſuis et animalium necesſitatibus proſpectum est. Non aliter enim tunc evenit quam nunc in Tartaria Maiori, ubi errabundae ſtirpes fertilitate agrorum, quos peragrant, necesſario alimento abundantes, in otio ſeneſcunt, atque adeo ab omni agricultione abhorrent, quandoquidem huic deditae ſedem mutare haud posſent, quo mirum in modum delectantur eosque miſeros arbitrantur, qui, in urbes coacti, libere vagari prohibentur (3). Accedit, quod ad agros colendos maior cum animi tum corporis virium intenſio requiratur, quam ad erraticam vitam, unde agricultura maiorem quoque ordinem in hominum vitam inferat necesſe est, et proximus ad civilem ſocietatem transitus recte habetur.

(1) Moses, L. 1. c. 33 et 36.

(2) Iul. Caes., de bell. Gall. L. 6. c. 22.

(3) F. A. Carus, Ideën zur Geſch. der Menschh. S. 271.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRISCIS ITALIAE GENTIBUS NOMADIBUS.

§. 1.

De vetustissimo Italiae statu.

Romanis hoc cum reliquis antiquis terrae gentibus commune est, ut densissimae tenebrae eorum origini offundantur eamque obtegant. Roma enim iam eo tempore vel condita vel occupata est (1), quo quidem, quod ad vetustum Italiae statum populorumque, qui eam inhabitarunt, vitae rationem attinet, perparva nobis scientia est; etenim si, quae Graeci de vetustissima Italia memoriae prodiderunt, pervolvimus, nobis sane, ante olympiadum renovationem, quae tres et viginti annos ante U. C. accidit, exigua lux in illis tenebris aderit, nec nisi diu post historia demum ad eam certitudinem pervenit, ut ex iis, quae annotassent scriptores, certi aliquid statuere liceret, quamvis hoc vere quidem Cicero de priscis incolis dixerit: (2) *Quis vestrum, iudices, ignorat, ita naturam tulisse, ut quodam tempore homines, nondum neque* NATURALI *neque* CIVILI IURE de-

(1) Cf. PERIZON. Dissert. de Hist. Rom. et Romae Urb. Orig.

(2) Pro Sext. c. 42.

descripto, fusi PER AGROS *ac dispersi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per caedem ac vulnera eripere aut retinere potuissent.*

§. 2.

De Aboriginibus et Albana gente.

Veteres, historiae luce carentes, quamque gentem, quam ab alia derivare non potuerunt, ab ipso habitationis loco, quasi ab eodem solo, instar arborum, e terra natam pullulatamque, ἀυτόχθονα, indigenam, vocarunt, quod illius originem et ultimam aetatem aliqua vel memoria repetere, vel humana ratione demonstrare non poterant (1). Nos vero, duobus gravissimis auctoribus, Livio et Dionysio Halicarnasseo, diu ante Romam conditam plurimas quidem in Italia exstitisse gentes, quarum praecipua *Aborigines* feruntur, certo ad credendum inducimur. Hos autem sive a priscis Germanis Celtisque, (2) sive a Troianis, a Pelasgis seu ab aliis gentibus ortos existimamus (3), Albam Longam constituisse, Albanamque deinde gentem prae ceteris in Italia inclaruisse, posteaque aucta ho-

(1) DION. HAL. L. 1. c. 10. Ed. Angl.

(2) FUNC. de Orig. Ling. lat. L. 1. c. 6. Id. de matre L. Lat. Germ. c. 5.

(3) DION. HAL. L. 1. c. 10. seqq. LIV. Hist. Rom. L. 1.

hominum multitudine in diverſas huius regionis partes colonias deduxiſse, ſatis conſtare videtur. Hinc Romani ſe *Albanorum coloniam* iactitarunt (1) bellumque, quod postea inter Albanos et Romanos gestum est, *civili ſimillimum bello prope inter parentes natosque* fuiſse dixit Livius (2).

§. 3.

De vitae ratione Aboriginum.

Qualis autem Albana gens eiusque in Latio coloniae fuerint, quamque vitae rationem egerint, ipſi Romani ſcriptores ubique testantur.

Aborigines enim, genus hominum agreste, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum fuere (3):

Gensque virûm, truncis et duro robore nata,
Quis neque mos neque cultus erat; nec iungere tauros,
Aut componere opes norant aut parcere parto;
Sed rami (4) atque asper victu venatus alebat.

Pri-

(1) Dion. Hal. L. 1. c. 66. 71. 88. et Livius Hist. Rom. L. 1. c. 6.

(2) Lib. 1. c. 23.

(3) Sall. bell. Cat. c. 6.

(4) Glandibus nimirum vescebantur Romani. Postea hoc nomadicae vitae vocabulo Romani quosvis fructus ſignificarunt: Legibus enim XII. Tabul. cautum fuit, ut *glandem*, id est, omnem fructum, in alienum fundum procidentem, colligere liceret. Plin. H. N. L. 16. c. 5 et 6., Gaius L. 236. ff. §. 1. de Verb. Sign.

Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens, et regnis exſul ademtis;
Is genus indocile ac disperſum montibus altis
Compoſuit, legesque dedit. —

Hoc modo Aboriginum mores deſcripſit Virgilius (1), nec alio Ovidius de vetustisſimis Latii incolis cecinit: (2)

Vita ferae ſimilis, nullos agitata per uſus:
Artis adhuc expers et rude vulgus erant.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
Nullus anhelabat ſub adunco vomere taurus:
Nulla ſub imperio terra colentis erat:
Nullus adhuc erat uſus equi. Se quisque ferebat,
Ibat ovis lana corpus amicta ſua.
Sub Iove durabant et corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres et tolerare Notos.

Nec minus egregie Tibullus (3) de Romanorum Maioribus, ad vitam pastoritiam iam progresſis, atque adeo iam magis excultis:

Sed tunc pascebant herboſa palatia vaccae,
Et ſtabant humiles in Iovis arce caſae.
Lacte madens illic ſuberat Pan ilicis umbrae
Et facta agresti lignea falce Pales,

Pen-

(1) L. 8. Aen. v. 315. Cf. L. 9. Aen. v. 603.
(2) Fast. L. 2. v. 291.
(3) L. 2. El. 5. v. 25. Cf. et 55.

Pendebatque *vagi pastoris* in arbore votum
Garrula silvestri fistula sacra deo.

Et quam veris coloribus eandem tabulam pinxit Iuvenalis: (1)

— — — Cum frigida parvas
Praeberet spelunca domos ignemque laremque
Et pecus et dominos communi clauderet umbra,
Silvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondibus et culmo vicinarumque ferarum
Pellibus.

§. 4.

De Romanorum maioribus, pastoralem vitam agentibus.

Quum autem, his de Aboriginibus praedictis, in Italiae incolas, quales non diu ante Romam conditam fuerint, oculos vertimus, non quidem dictu difficile est, ad quem humanae culturae gradum iam adscenderint: Etenim, si ipsa Italia a taurorum multitudine ac pulchritudine, uti Varro ait, nomen habere existimata sit, quos Graecia antiqua Ἰταλοὺς dixit, (2) eos pastores fuisse, quorum vitam

(1) Sat: 6. Cf. et LUCRET. Car. L. 5. v. 956 seqq. PROP. L. 3. El. 11. v. 35.

(2) Varro de Re Rust. L. 2. c. 5. Colum. de Re Rust. L. 6. praef. Cf. FESTUS in voce *Italia*.

tam secundum culturae ingenii humani gradum vocarunt, (1) cuique patet, quamvis venatoriam vitam non omnino deposuisse videantur. Mirum ergo cuiquam videri haud potest, Varronem suos populares rogasse: (2) *Romanorum populum a pastoribus esse ortum quis non dicit? Quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutricium, qui Romulum et Remum educavit? Non ipsos quoque fuisse pastores obtinebit, quod Palilibus potissimum condidere Urbem? Non idem, quod multa etiam nunc ex vetere instituto bubus et ovibus dicitur? Et quod aes antiquissimum, quod est flatum, pecore est notatum? Et quod Urbs cum condita est, tauro et vacca, qui essent muri et portae, definitum? Et quod, populus Romanus cum lustratur, suovetaurilibus circumaguntur verres, aries, taurus? et quod nomina multa habemus ab utroque pecore, a maiore et a minore: a minore, Porcius, Ovinius, Caprilius; sic a maiore; Equitius, Taurus.*

§. 5.

(1) Varro de Re Rust. L. 2. c. 1.: *De antiquis illustrissimus quisque*, inquit, *pastor erat, ut ostendit Graeca et Latina lingua, et veteres poëtae, qui alios vocant πολυάρνους, alios πολυμήλους, alios πολυβούτους*; addit autem, *qui ipsas pecudes, propter caritatem, aureas habuisse pelles tradiderunt.*

(2) De Re Rust. l. l.

§. 5.

De terrae opportunitate ad vitam erraticam.

Si porro in ipfius terrae fertilitatem animum advertimus, totam quidem Italiam, in primis vero Albanum agrum et glandium feracem et pecori pafcendo opportunam fuisfe patet: (1) Praeter eam enim terram, quae colitur et modico labore uberrimos atque optimos fructus reddit, teste Dionyfio Halicarnasfeo (2) „ multum terrae invenias patere ovi„ um, multum caprarum gregibus; ampliorem etiam „ et praeftantiorem terram armentis equorum et bo„ um: Palustris enim et pratenfis herba, copiofa illa, „ cultaeque terrae irrigua et rofcida, immenfum quan„ tum, aestate compascua, omni tempore vegetam „ praebet gregum et armentorum copiam." Dixit autem alibi de tractu circa Romam: (3) „ Albani lo„ cum moenibus et fosfa complexi habitare coe„ pere, ubi ad id tempus bubulcorum, opilionum „ ceterorumque pastorum ftabula fuerant, *folo ab„ unde fuppeditante copiam tum hiberni tum aesti„ vi pabuli propter fluvios, a quibus rigatur et re„ frigeratur.* Inde ergo ipfam regionem, in qua „ gen-

(1) Strabo, Geogr. L. 5. p. 349. Unde Virg. *arva opima* dixit, Aen. L. 2. v. 781.

(2) L. 1. c. 37.

(3) L. 2. c. 2.

„ gentes Italiae ante Romam conditam oberrarunt,
„ hac ex parte vitae nomadicae apprime idoneam
„ fuisse facile cuique patet."

§. 6.

De Romulo ac Remo, pastoribus ac latronibus.

Quum tandem ad ipsum Romulum et Remum animum attendamus, quorum avus Numitor, patriarchalem vitae rationem secutus, etiam greges et armenta habuit, hos iam ante Romam conditam sive potius occupatam (1) armenta pavisse atque adeo pastores et latrones fuisse quis nescit (2)? Teste enim Livio (3), *ipse Romulus nec in stabulis nec ad pecora segnis, iam antea gregem iuvenum collegerat, cum quibus venando peragrabat circa saltus, in latrones, praeda onustos, impetus faciebat, pastoribusque rapta dividebat et seria ac iocos celebrabat.* Quibus verbis constat, Romulum primo nihil aliud quam complurium pastorum caput fuisse, a quibus ob fortitudinem et consilium dux erat electus, aut quo illi circumerrantium pastorum vicinarumve gentium latrociniis facilius resisterent, aut ipsi, praedae capiendae cupidi, tutius

(1) Cf. PERIZON., Dissert. de Histor. Rom. et Rom. urb. Orig.

(2) DION. HAL. L. 1. c. 79. seqq. Ov. Fast. L. 3. v. 191.

(3) Hist. Rom. L. 1. c. 4.

tius in alios impetum facerent. Hinc Iuvenalis latrocinia, quae prisci Romani egerant, increpans, eorumque ſuperbiam ridens, cecinit: (1)

Et tamen ut longe repetas longeque revolvas
Nomen: ab *infami* gentem deducis aſylo;
Maiorum primus, quisquis fuit, ille tuorum
Aut *pastor* fuit, aut ILLUD, QUOD DICERE NOLO.

Infitiari enim non potest, nullam gentem tam plane pastoralem esſe, ut ne prioris venatoriae vitae vestigia ſimul remaneant atque appareant. Romanorum quidem paſtores nunquam latrocinia depoſuisſe, ſed ſemper latrones exſtitisſe, de posteriore tempore etiam Livius refert. (2): *Tarentum*, inquit, *provinciam L. Posthumius Praetor habebat. Is de paſtorum coniuratione, qui vias latrociniis pascuaque publica infesta habuerant, quaeſtionem ſevere exercuit. Ad ſeptem millia hominum condemnavit.*

§. 7.

(1) Sat. 8. v. 272.

(2) Hiſt. Rom. L. 39. c. 29.

(3) Idem ille populus, antea pastor, tandem ob latrocinia a vita pastorali adeo abhorruit, ut ab Honorio et Arcadio Impp. severa lex lata ſit (*), qua Curiales plebeii filios pastoribus nutriendos dare prohibentur, ea ſanctione, ut ſi contra hanc legem fecisſent, latronum ſocietatem confiteri viderentur; unde quoque equorum uſum variis legibus Valentinianus et Valens, Impp., pastoribus interdixere. (†)

(*) Cod. Theod. L. 9. T. 31.
(†) D. Cod. L. 9. T. 30.

§. 7.

De historiae exemplis, priscam nomadicam Romanorum vitam testantibus.

Quamquam Romanos, sive potius Romuli socios, agriculturae quodammodo iam ante U. C. studuisse statuendum videtur, in primis tamen rei pecuariae operam dabant, unde postea a Floro (1) *Pastorius populus* vocati sunt, et *pastoritiae vitae feritatem diutissime retinuisse* dicuntur: (2) Quum enim Romanam historiam, maxime vetustissimam, consulimus, ubique pastorum earumque rerum, quae ad vitam pastoralem non dubie pertinent, mentionem factam videmus. Ut enim de Hercule, Caco aliisque pastoribus, eorumque vetustissimis, qui referuntur, regibus taceam, lupae fictio, quae Romulo ac Remo ubera praebuit, nonne tota e pastoritia vita est desumta, ubi haec fera, in primis in Italia, pecori insidiatur, ut inde etiam Pana Lupercum, quasi *Lupos arcentem*, dixerint atque coluerint? (3) Nonne Faustulus, qui infantes expositos invenisse et educasse traditur, pastor et quidem regii pecoris magister fuit?

(1) Hist. Rom. L. 2. c. 1.

(2) Idem L. 1. c. 22.

(3) STRABO, Geogr. L. 5. p. 329. PLUT., Quaest. Rom. 67.

fuit? (1) Quid tandem maiorem in modum nomadicae vitae latrocinia prodit ac confirmat, quam ille Sabinarum virginum raptus? quid? quod centum fere annis post Romuli mortem duo e pastoribus ferocissimi delecti sint, qui agrestibus ferramentis Tarquinium Priscum in Urbe interfecerunt. Pastores itaque tunc temporis adhuc in ipsa Roma vel certe in eius vicinia degisse et summis reipublicae rebus se immiscuisse, quis inde non videt? (2)

§. 8.

De Romuli agendi ratione, vitae nomadicae congrua.

Quemadmodum vero nomadicae gentes, in civilem societatem transeuntes, a labore aversi, bello dediti, et fortitudinis admiratores ac laudatores diu manent (3) et, sicuti Tacitus de priscis Germaniae incolis tradit, (4) *pigrum quin immo iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare;* sic Romulus cum his, qui se ei adiunxerant, illumque ducem elegerant, ad civile vitae genus transiens, nihilque nisi Romae paupertatem habens, cuius agri di-

(1) Liv. Hist. Rom. L. 1. c. 4.

(2) Idem L. 1. c. 40.

(3) Ferguson, An essay on the history of civil Society, Lond. 1782. § of rude Nations under the impréss of property and intrest. Carus, Ideen zur gesch. d. Menschh. S. 280.

(4) De Mor. Germ. c. 14.

divisi congregatarum stirpium gregibus et armentis non sufficiebant, cum nemini maiorem agrorum modum, quam bina iugera tribuere potuisset (1), instar barbarorum, nondum cupiditate ductorum, ut proprio labore atque adeo honesto modo necessaria ad vitam sustentandam acquirant, bellica suorum studia secutus est, et in vicinarum gentium agros crebro irrumpens hos, veteribus sessoribus pulsis, aut sibi vindicabat, aut ex iis necessaria rapiebat, et sic illis latrociniis, saepius repetitis, continua bella cum finitimis oriebantur, quibus populus, assiduo exercitatus, ad illam martialem vitam ferebatur, qua postea ad gloriam et decus evectus, terrae orbis dominum sese iactare potuerit.

Ut vero ordine procedamus, iam videamus, qui et quales *coloni* fuerint, quos Romulus secum duxerit, quibus leges dederit et quibuscum vetustam Romam incoluerit.

(1) PLIN. Hist. Rom. L. 18. c. 2.



CA-

CAPUT TERTIUM.

DE ROMULI SOCIIS ET ROMA.

§. 1.

De Romuli colonis.

Coloniam, quam Romulus cum sociis constituit, Albana origine fuisse, iam ex supra dictis abunde constat. Ex Alba autem quinquaginta fere stirpium principes Romam profecti traduntur et magna pars plebis (1), aut quod familiis, in dies crescentibus, agri occupati non sufficerent, aut quod, agrorum iure non satis descripto, ab aliis oberrantibus pastoribus iniuriam passi, his cederent, aliasque sedes quaerentes Romulo et eius sociis se adiungerent, aut denique novarum rerum studiosi huc se conferrent, ut meliorem vitae sortem nanciscerentur.

Cum his Albanorum colonis se iunxerunt alii pastores (2), qui omnes novam coloniam reliquis superiorem fore spem faciebant: Horum enim multos circa ipsam Romam in gregibus ac armentis pascendis occupatos fuisse constat, libere per

(1) Dion. Hal. A. R. L. i. c. 88.

(2) Liv. Hist. Rom. L. i. c. 6. Flor. Hist. R. L. i. c. i.

per pagos habitantes, nulli communi ſubiacentes genti, uti Strabo testatur: (1) Erat ergo Romana colonia iam ex variae conditionis hominibus congregata, ſed omnes tamen fere non limitata libertate fruebantur, et quia hanc, nullis legibus adſtrictam, retinere volebant, Romulum ſequebantur. *Ilic vero ne vana urbis magnitudo esſet, adiiciendae multitudinis cauſſa, Aſylum aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis ſine discrimine, liber an ſervus esſet, confugit, idque primum ad coeptam magnitudinem roboris fuit.* (2)

§. 2.

De diverſis colonorum generibus.

Confluxerant autem Romam tria in primis hominum genera: Albani patres, qui non tantum ſtirpium capita erant, ſed etiam iam alios pauperiores paſtores ſecum habebant, qui ſe iis adiunxerant, quo tutius ſuos greges et armenta pascerent, et *Clientes* vocabantur. Quales etiam nunc apud Arabes errantes plures ſtirpes ſe coniungere ſolent, et pauperiores ditioribus, qui ſimul et potentiores ſunt, quaedam officia praeſtant in remunerationem clientelae, quam ab his ca-

(1) Geog. L. 5. p. 350 et 351.

(2) Liv. Hiſt. Rom. L. 1. c. 8. Flor. Hiſt. L. 1. c. 1. Vell. Paterc. Hiſt. L. 1., Sext. Aur. Vict. de vir. illuſtr. c. 11. Lactant., Divin. Inſt. L. 11. c. 6.

capiunt. (1) Alterum vero genus erant hi paſtores, qui ob exiguitatem ſui gregis vel armenti illos, qui pecore abundabant, ſibi *patronos* elegerant, in quorum vicinia vivebant, quibus quaedam officia praeſtabant et quodammodo ſubiecti erant. Tertium denique colonorum genus, neque Patroni neque Clientes, ad aſylum apertum undique convenerat, quod vero maximam partem certe non greges neque armenta habuisſe, ſed quia in ſuis ſtirpibus non contentum, vel novarum rerum ſtudioſum, vel ſervitute presſum erat, hanc reliquisſe videtur.

§. 3.

De Romuli potestate in colonos in privatis rebus.

His vero maiore ex parte paſtoribus Romulus ut leges daret, omnium maxime necesſarium duxit, ut, quomodo ſibi obedirent, eos doceret. In privatis Romanarum ſtirpium rebus hoc fieri non poterat; nam uti inter Americanos auſtrales nemo domi ſuae alii ſubiectus est, ſed quisque ad familiam curandam ipſa conſuetudine ducitur et affectibus animi ſui regitur, dum quidquid in eorum domibus agitur, etiam ipſum homicidium, ad privatos ſpectat, (2) ſic quoque Ro-

(1) Memoire ſur les Trib. Arab. du deſert de l'Egypte par Du Bois-Aymé, dans la deſcript. de l'Egypte publiée par les ordres de Napol. 1812. 2 Livrais.

(2) FERGUSON Esſay, § ſupra laud.

Romani in fuis domibus nullum imperium admittebant, quapropter multa privilegia, quae hinc in primos Romanos cives redundarunt, non Romulo, fed priscis moribus adfcribenda videntur. Aderant enim iam, ante Romulum regem, omnia illa iura, quae pater Romanus, tanquam gentis caput, domi fuae in totam familiam exercebat, quamvis haec ab hiftoricis huic regi tribuantur, quia ab initio reipublicae in ufu fuerant et ab eo confirmata funt.

§. 4.

De Romuli potestate in colonos in publicis rebus.

In rebus vero publicis, etfi quidem plura conftituere valebat Romulus, confuetudines atque inftituta tamen e vita nomadica, quantum potuit, asfervavit et in publicam civitatis falutem convertit: Respublica enim ad eam formam, quam primis temporibus habuisfe legimus, fponte fe accommodaverat, nec legislatoris auxilii magnopere indigebat, quamvis etiam haec Romulo fint adfcripta, quae, eo regnante, fiebant. Si vero nomadicae vitae rationem habentes haec omnia ita explicemus, complura profecto, quae in primordiis huius civilis focietatis locum habuere, quaeque, alioquin admodum obscura, variis modis interpretari postea conati funt, explicatu atque intellectu faciliora reperiemus. Hoc quippe modo expeditae funt quaestiones, quomodo Patres

tresfamilias congregari potuerint in Senatum, qui regibus tam difficilis atque molestus erat. Unde ius patronatus clientibus, sive plebi, tam grave ac durum ortum sit. Unde iam ab initio inter eos, qui ad communem finem obtinendum et ad maiore libertate ac securitate, quam antea habebant, fruendum, undique huc convenerant, tantum iam discrimen potentiae esset. Unde tandem tanta patronis privilegia favorabilia essent, et tot odiosa plebem premerent. Nunquam enim apud gentes barbaras et incultas summi et infimi multum inter se distant; (1) in Romana vero republica statim iam ab initio quaedam iuris feudalis species locum habet. Multi optimates hic iam populum constituunt; unus eorum est dux, sed solum dux summusque magistratus, non dominus, qui per Senatum continetur, uti ipse Senatus ingentem clientum multitudinem regit, qui quidem feri atque inculti, sed sub domesticae ac publicae libertatis specie ab hoc regi se facile patiuntur.

§. 5.

De prisca Roma, Nomadum urbe.

Ut vero illos congregatos pastores paulo diligentius contemplemur, ipsam eorum urbem intremus, ut

(1) Ferguson § of rude nations under the impress of property and intrest.

ut ex tenui apparatu, qui ubique deprehenditur, et nomadico more, quo ibi vivitur, habitatur et agitur, ad ipſos incolas, quam nomadici adhuc ſint, non dubiam ſententiam feramus.

En in Palatino monte nonnullas caſas, huc et illuc nomadico more diſperſas, quam rudes, ſine ornatu et cultu! (1) Exiguis nomadicis ipſorum habitatorum necesſitatibus vix ſatisfaciunt: (2) Sunt enim nihil aliud, quam tuguria, partem ex canna paluſtri et ſtramine, partim ex tabulis ligneis confecta. (3) Ut autem ſoli humorem effugiant paſtores, paululum modo lapidibus lateritiis, ſole coctis, ſuffundata ſunt (4) et ex ſola fere area conſtant. (5) Intus nullum propemodum apparatum videas niſi arma, ad latrocinia necesſaria, et pauca inſtrumenta, quae pauperis incolae uſus exigit ad olera coquenda, caſeum premendum et carnem praeparandam. (6) Dormitat hic paterfamilias cum tota familia eodem loco; cubilia autem ſunt humus, in qua

(1) Cf., quae de Germanorum nomadicorum tuguriis narrat Tacitus de Mor. Germ. c. 16.

(2) Vitruv. L. 2. c. 8.

(3) Ov. Am. L. 2. El. 9. v. 18. Fast. L. 3. v. 184. L. 6. v. 261. Cf. de Gallorum caſis Iul. Caes. de bell. Gall. L. 5. c. 43.

(4) Varro, ap. Non. c. 1. n. 236.

(5) Vitruv. l. l.

(6) Romanis enim ad V ſaeculum poſt U. C. panem ignorarunt, nec niſi pulte uſi ſunt, et piſtores Romae non fuere ad

qua ſtipularum, ulvae vel foeni lectus (1) eum, a venando vel pascendo reducem, ad ſomnum invitat. (2)

Ipſe rex paſtorum, Romulus, in eiusmodi caſa ſtraminea, ceteris paulo maiore, quoque habitat. (3) Hic iam conſpicitur exiguus locus, postea parvum atrium Vestae, ubi Numa prudens post aliquot annos habitabit. (4) Templa, postea a ſuperbis poſteris in coelum evehenda, nusquam apparent; ſed deſignatur tantummodo Iovis Feretrii templum, (5) quantum vero? Vix quindecim pedum longitudinem habebit. (6)

Quocunque oculos vertimus, Roma magis vici quam urbis formam prae ſe fert, (7) niſi quod vallum et foſſa, quae ipſe Romulus, album taurum albamque vaccam aratro iungens, ad moenia et portas deſignanda duxit, (8) ſolum munimentum ſit,

ad Perſicum usque bellum, annis ab U. C. amplius DLXXX. Plin. Hiſt. Nat. L. 18. c. 28. Val. Max. L. 2. c. 5. §. 5.

(1) Ipſum vocabulum *lectus* a lectis ſive collectis herbis ad cubandum dictum fuit. Sext. Pomp. Fest. in voc. *lectus.*

(2) Ov. Fast. L. 1. v. 200. L. 3. v. 185. Cf. Tac. de Mor. Germ. c. 20.

(3) Prop. L. 2. El. 13. v. 20.

(4) Ov. Fast. L. 6. v. 263.

(5) Liv. Hiſt. Rom. L. 1. c. 10.

(6) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 34. ed. Angl.

(7) Flor. Hiſt. Rom. L. 1. c. 1.

(8) Varro, L. 4. §. 32. de ling Lat.: *Terram, unde exſcalpſerant*, fossam *vocabant et introrſum factum*

ſit, quod novam urbem circumdat, quodque Remus, eius anguſtias irridens, inconſulte tranſiliit. (1) Ubique plebs non ſolum, ſed ipſi ſenatores, mactatorum animalium pellibus a ſolis calore et aëris intemperie corpora defendentes, quia aliarum veſtium ignari ſunt, intus et extra in paſcendis gregibus occupati ſunt; (2) mox vero buccinae ſonitu Quirites ad comitia cogentur, et centum pelliti ſenes ſub dio in pratum congregabuntur (3) et ſtatuent, quod longa poſteritas verum ac immortale iudicet, quamvis finitimae gentes hos ipſos eorumque filios affinitate indignos arbitrentur. (4) En Romam quadratam. (5) En Romanos nomades, attamen iam in civilem ſocietatem congregatos, nec amplius oberrantes. Non immerito ergo Florus de priſca Roma: (6) *Paſtorum caſas, inquit, ignis ille* (Gallorum) *et flamma paupertatem Romuli abscondidit.*

MURUM. PLUT. de mod. cond. Urb. FLOR. Hiſt. Rom. L. I. c. I.

(1) DION. HAL. L. I. c 88. FLOR. l. I. OVID. Faſt. L. 4. v. 825. PLUT. in Rom. c. 10.

(2) OV. Faſt. L. I. v. 204. De Germanis pellitis vid. TACIT. de Mor. Germ. c. 17.

(3) PROP. L. 4. El. I. v. 13.

(4) LACTANT. Inſt. Div. L. 2. c. 6.

(5) DION. HAL. A. R. L. I. c. 88. et L. 2. c. 65.

(6) L. I. c. 13.

VES-

PARS PRIOR.

VESTIGIA
VITAE NOMADICAE,
IN REBUS PUBLICIS
ROMANORUM.

CAPUT PRIMUM.

DE STATU PUBLICO SIVE REGIMINIS FORMA APUD PRISCOS ROMANOS.

§. 1.

De Romulo eiusque nomadico imperio.

Quum primam imperii formam, quae apud priſcos feroces Romanos exſtitit, diligenter conſideramus, hanc non multum ab ipſis vitae nomadicae inſtitutis diverſam fuisſe, qualia apud plurimas gentes etiam nunc in paſtoritio ſtatu viventes inveniantur, ſatis ex eius temporis Romanae hiſtoriae reliquiis, quas ſupra memoravimus, nobis patere potest. Quamquam enim *primum regii imperii nomen*

men in terris fuisse recte admonuit Sallustius (1), omnesque antiquae gentes ubique quondam regibus paruerunt; (2) edocuit tamen historia gentium posteriorum, quae e statu nomadico ad civile transierunt vitae genus, has omnes *regium imperium* prae ceteris regiminis formis ideo tantum sibi elegisse, quia, ut pote rudes et incultae, aliam sibi formam constituere haud possent, cum ad reliquas eligendas maior iam prudentia atque solertia requiratur, quam nomadicae gentes habent; quae igitur formae magis excultis gentibus solum congruae esse possunt. Neque rudibus Romanis ea rerum peritia tribuenda videtur, ut omnia, ad evitanda mala, retinenda vero commoda, quae ex hac regiminis forma in cives redundare debebant, apte componere ac conglutinare potuerint; nam ad regium imperium ipsis nomadicis moribus ac institutis trahebantur. Primi autem reges incultarum gentium non fuerunt, qui fuisse videntur (3): Fuerunt enim nihil aliud, quam duces, quos nonnullarum stirpium principes, externam timentes vim, ut tranquillius greges et armenta pascerent, tutiusque occupata pascua retinerent, quam antea separatim vagantes, sibi elegerant; quorum paucitati deinde alii se adiunxerunt, quoniam eiusmodi ducis fortitudine et consilio

(1) De bell. Cat. c. 2.

(2) Cic. de Leg. L. 3. c. 2. Iust. Hist. L. 1. c. 1.

(3) Cf. Charlevoix Journ. historiq. d'un Voyage en Amérique p. 266 et 268.

lio ab aliarum vicinarum gentium iniuriis vindicabantur, vel ut ipſi minore cum periculo alios invaderent, pellerent illorumque agros occuparent, dum hi in pace et bello magis auctoritatem ſuadendi quam iubendi potestatem in congregatas ſtirpes habebant; (1) bello enim exorto, regum facta, non dicta ſequuntur, nec disciplinam modo, ſed exemplum etiam a ducibus petunt (2): Etſi vero horum auctoritas in rebus publicis magna est; in iis tamen, quae ad ſingulos ſpectant, admodum exigua conceditur, quoniam harum rerum curam ſibi reſervant nomades in civitatem coëuntes. (3) Sic Caribbeorum dux domeſticas ſtirpium lites dirimere non facile ſibi ipſe arrogat; hae enim nullam civilis auctoritatis ſpeciem admittunt. (4) Nec aliter quoque Romulus primo, et propter corporis vires et animi dotes, a iuvenum grege dux electus, quibuscum, teste Livio (5) ſeria et iocos celebrabat; mox a pluribus ſtirpium capitibus congregatis regnum ad vitae tempus inter illas, tanquam ſummus magiſtratus, adeptus est, uti etiam Caribbei aliaeque auſtralis Americae gentes ſuos

(1) Diodor. Sic. L. 2. c. 70. Locke Gouvern. Civ. c. 7.

(2) Tac. de Mor. Germ. c. 7.

(3) Memoire ſur les Tribus Arabes du deſert de l'Egypte, l. l.

(4) Hiſtory of Caribbees by Ferguson §. 1. et Charlevoix l. l., Robertson Hiſt. de l'Améric. L. 4. §. 3.

(5) Hiſt. Rom. L. 1. c. 4.

ſuos duces non hereditarios, ſed quamdiu vivunt, eligere ſolent; (1) atque domesticam libertatem ſuarum gentium, in civile vitae genus transeuntium, circumſcribere non fuit auſus, neque potuit, niſi quatenus haec totius civitatis fini obſtaret atque noceret, cum tuendae, non vero tradendae, libertatis cauſſa cum Romulo ad ſocietatem civilem coiiſſent.

Romuli autem regis munera enarrabimus, quo clarius patescat, quantum hic paſtorum rex ab aliis in civilibus ſtatibus, jam pridem conſtitutis, regibus differat, qui tum demum creantur, quum populus, avaritia, luxuria et ambitione deperditus, aliisque rerumpublicarum, diu quacunque rerum abundantia florentium, vitiis obrutus, ſuam ſibi retinere libertatem non amplius potest. Romulus ſacrificiorum atque reliquorum ſacrorum erat princeps, ita ut per eum gereretur, quidquid ad placandos publicos deos pertineret; (2) legum ac conſuetudinum patriarum habebat custodiam; omnis iuris, quod vel natura dictitat, vel pacta et tabulae ſanciunt, curam agebat, et de gravisſimis delictis ipſe decernebat. Providebat praeterea, ne quid in iudiciis peccaretur, Senatum cogebat, populum convocabat, primus ſententiam dicebat, quod pluribus placuisſet, ratum habere debebat; in bello vero ſummum imperium exercebat. (3) Quis ergo hinc non videt, inter reliquarum

(1) Hiſtory of Caribb., by Fergus. § I.
(2) Cf. Tacit. de Mor. Germ. c. 10.
(3) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 14.

rum nomadicarum gentium et primum Romanorum regem non multum discriminis fuisſe; nec aliam potestatem etiam Romuli ſucceſſores habuere. Erat rex ſummus magiſtratus, populi atque Senatus conſenſu creatus; eligebatur autem vir optimus ſive ex indigenis ſive ex ipſarum ſtirpium capitibus, ſive ex peregrinis; et, ſi a populo et Senatu probatum regem auſpicia confirmasſent, ſuſcipiebat hic imperium. (1) Quomodo vero posteriores reges omnem, quam posſent, ſenſim arripuerint potestatem, hiſtoria Romana abunde docet. Sed Tarquinius Superbus, interſectis Patrum primoribus, novos in Senatum non legit, atque veterem morem, quo reges Senatum de omnibus conſulerent rebus, primus ſolvit, ita ut neque populi iusſu neque auctoribus Patribus regnaret (2), atque adeo imperium, nomadico more conſtitutum, in tyrannidem converteret, quapropter Romani iugum, ſibi iniuste impoſitum a regibus, deinde excutiendum utile arbitrati ſunt. Ad eum enim humanae culturae gradum iam adſcenderant, ut maioribus ſocietatis civilis commodis frui posſe viderentur; illos vero nondum omnino illam civilem libertatem, quam Brutus dedit, (3) ne post ducentos et fere quinquaginta quidem annos recte ferre potuisſe, exemplo Tarquinii Collatini, Bruti collegae, patet, quem ideo ex ur-

(1) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 6. 58. et L. 3. c. 1. Plut. in Numa c. 7.

(2) Liv. Hiſt. Rom. L. 1. c. 49.

(3) Idem L. 2. c. 1.

urbe expulerunt, quia eodem ac ultimus Regum Romanorum nomine appellabatur, quod propter superbam huius regis dominationem odiosum erat. (1) Periisse ergo tum aliquatenus nomadicam regiminis formam, exactis regibus, lucide patet.

§. 2.

De Senatu, e vita nomadica oriundo.

Senatus Romanus, altera apud Romanos publicae potestatis pars, nulla in re differebat ab illis seniorum conciliis, quae apud nomadicas vel barbaras gentes constituuntur, quum de summis rebus deliberant, et uti ipsum nomen indicat et testantur omnes Romanorum historici, a senio sive aetate senili dictus fuit. Ubi enim solae consuetudines et usus longaevi pro legibus valent, ibi tantum senes, utpote usu periti, in consilium adhiberi possunt, quoniam in vita nomadica nulla se offert occasio, qua iuvenes senibus prudentia et solertia praevaleant, unde quoque semper maxima seniorum auctoritas apud omnes antiquos populos fuit.

Quamquam, ex Dionysii Halicarnassei sententia (2), Senatum creavit Romulus, ut esset, quocum rempublicam administraret, tamen quum Romanorum res, quales ab initio fuerint, diligenter

(1) Liv. Hist. Rom. L. 2. c. 2. Eutrop. L. 1. c. 8.
(2) L. 2. c. 12. 13.

ter confideremus, haec verba potius de Senatus ordine, munere, numero aliisque, quam de eius electione intelligenda videntur. Ubicunque enim, uti apud omnes nomadicas ftirpes, fola fenilis aetas cuique locum concedit in feniorum concilio, ubi iuventutis ardor et, in pugnis, virtus ducis nomen et honorem tribuit, ubi denique, imminente periculo, tota focietas congregatur, ibi de origine potestatis iuris exfequendi five regis, potestatis rectoriae five Senatus et legislatoriae five comitiorum populi, non est, quod diu anxie quaeramus; (1) quapropter rectius dicendum videtur, Romanos fponte ad eam regiminis formam, quam iam in Urbis primordiis videmus, fefe accommodasse, et iam ante U. C. inftabili fede errantes cum congregatis ftirpibus Senatum conftitutum habuisfe, atque adeo *Senatus inftitutionem*, uti plurima alia, Romulo adfcribi, quae illum ad certum ordinem redegisfe, quam invenisfe vero fimilius est.

Ipfos autem Romanorum hiftoricos in varias fententias abire videmus, cur in *Senatum* congregati fenes *Patres* fuerint vocati. Sunt enim, qui ab *auctoritate* (2), vel ab *honore* (3), vel ob *aetatem*, qua ceteris anteirent (4), vel *virtutem* (5), vel deni-

(1) Cf. W. Robertson, Inleid. tot de Gefch. van Karel de V. 2 D. bl. 23.

(2) Flor. Hift. Rom. L. 1. c. 1.

(3) Liv. Hift. Rom. L. 1. c. 8.

(4) Quinct. L. 1. c. 6. Sext. Pomp. in voc. *Senatores*.

(5) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 8 et 12.

nique *paternam curam* (1) eos hoc nomine insignitos fuisse putent, dum alii *Patres* vocatos hos arbitrantur, quia hi, legitimorum patrum filii suos patres sive stirpium capita demonstrare poterant, cum reliqua plebs, quae, aperto Asylo, undique in novam urbem confluxerat, quasi sine patribus et terrae filii esset. (2) Festus vero (3) hos Patres dixit, quia post U. C. agrorum, qui aderant, partes tenuioribus, tamquam liberis propriis, tribuebant. Quam parum ergo sibi de hòc nomine ipsi historici constent, ex dictis apparet. Quidquid itaque est, sufficit, illud nomen patriarchalis vitae rationi maxime conveniens esse, ubi multarum stirpium capitibus, quae praesunt ceterisque a consiliis sunt, saepe, uti etiam nunc in multis Africae tractibus, *Patres* vocantur, atque adeo statuere licet, Romanorum quoque confessum illud nomen, ad aliarum vicinarum gentium similitudinem, a suis congregatis stirpibus vel accepisse vel adsumsisse.

Senatus autem Romani munus in primis hoc fuisse constat, ut rex congregatos Patres de rebus publicis consuleret, illi de his iudicarent, atque, si a rege propositae res civitatis salutis contrariae essent, negando prohiberent, ne rex imperio abuteretur (4) et, quid-

(1) Sall. bell. Cat. c. 6. Aurel. Vict. de V. I. c. 2.

(2) Plut. in Rom. c. 9. Dion. Hal. l. I.

(3) L. 14. in voc. *Patres.*

(4) Postea eodem modo *Consulibus* moderator additus fuit Senatus. Dion. Hal. A. R. L. 7. c. 55.

quidquid vellet, faceret. Rex itaque, quamvis in bello dux, in pace tamen de fummis rebus cum Senatu deliberare debebat; (1) hic vero de nulla re deliberare neque quid certi ftatuere poterat; nifi quod rex vel populus ei deliberandum propofuisfet, (2) ita ut respublica omnis in potestate Senatus esfet, praeter legislationem, magiftratuum creationem et belli pacisque arbitrium (3), quae omnia quam recentiorum etiam nomadum vitae rationi congrua fint, fatis docent omnes, qui incultas gentes adierunt et de earum vitae genere, inftitutis ac moribus fcripferunt. (4)

§. 3.

De populo comitiisque, e vita nomadica repetendis.

Reliquis igitur, qui aut, aperto Afylo, e vicinis agris et iam quodammodo conftitutis civitatibus Romam confluxerant, aut clientum nomine Patres, fuos patronos, huc erant fecuti, remanferat, id

(1) Liv. Hift. Rom. L. 1. c. 8.

(2) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 14. Cf. Sarius Zamosc. de Senat. Rom. L. 1. p. mea 54.

(3) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 14.

(4) Cf Ferguson, § of rude nations under the impr. of prop. and intr. l. l. et Fr. A. Carus, Ideen zur Gefch. der Menschh. § Urzuftand der Urmenfch. Montesq. Esprit des loix. L. 6. c. 11.

id quod antea iam habuerant, *ius comitiorum*, in quae congregati leges iubere aut abrogare, magiſtratus creare, et a rege rogati de bello indicendo aut finiendo ſuffragiis decernere poterant, ita tamen, ut quod populus iusſisſet, tum demum ratum haberetur, ſi Senatus id comprobasſet. Haec autem *comitiorum ratio*, quamvis temporis progresſu pro diverſo reipublicae ſtatu admodum mutata, tamen, uti reliqua publica adminiſtratio, e vita nomadica originem duxit; quippe quamquam Arabum ſtirpes, in tribus conſociatae, plerumque maximum natu, quem *Sheikh* dicunt, tamquam omnium ſtirpium congregatarum patrem venerantur atque colunt, eiusque mandatis, quotiescunque ad publicam ſalutem ſpectant, facile obſequuntur, numquam tamen in comitia coire cesſant, quum omnium res aguntur. (1) Nec aliter Galli (2) et Germani (3) ſua concilia, in quibus de omnium ſalute et ſummis rebus conſultabant, olim habuisſe leguntur. (4) Romana vero comitia olim ita peragi ſolebant, ut in triginta curias diviſus populus ſuffragium ferret, erantque hoc modo pauperes ferendis ſuffragiis ditioribus non

(1) Memoire ſur les Trib. Arab. ſupr. laud.

(2) STRABO, Geogr. L. 4. p. 301. CAES. de B. G. L. 1. c. 30. L. 6. c. 3.

(3) TAC. de Mor. Germ. c. 6. 11, 12. extr.

(4) Idem de Hunnis affirmat AMMIAN. MARCELL. L. 31. p. 473.

non ſolum pares, ſed, cum numero multo plures esſent, uti creditu facile est, accidit, ut ſuffragiorum vis penes pauperes esſet, quae quidem aequalis omnium ſuffragiorum potestas, quamvis inter illos, cum adhuc nomades esſent, uſitata, a primis regibus, civitatis commodo noxia et periculoſa habita, a Numa Pompilio, patriciorum ſive divitum auctoritate aucta, iam diminuta fuit. Servius Tullius vero, quamquam plebi in multis rebus blandiens, cuius gratia regnum ſibi confirmari ſtudebat, ariſtocratiam tamen quamdam fundavit, quippe qui quum aut leges ferre, aut magiſtratus creare, aut bellum indicere vel componere vellet, centuriata comitia pro curiatis convocavit. (1) Etiamſi vero in publicis rebus nomadica populi libertas circumſcribebatur, et pro diverſis reipublicae temporibus, nunc aucta, nunc diminuta cenſebatur, retinuerunt tamen Quirites domi ſuae omne imperium in omnes, qui ſtirpi ſuberant, et, post exactos reges in comitiis denuo maiorem ſuffragiorum libertatem nacti, eam obtinuerant potestatem, ut non immerito dici posſit, omnem imperii maiestatem ſemper penes populum fuisſe, donec a Caeſaribus, publica Romanorum libertate oppresſa, comitia ipſa fuerint ſublata. Cuius autem populi maiestatis quid quidem maius potest esſe indicium, quam per omnia reipublicae tempora *civium ad populum provocatio*, et *fasces ſubmittendi* mos, quoties magiſtratus in populi con-

(1) Liv. Hiſt. Rom. L. 1. c. 43.

concionem veniret (1) et, ut omittam de civis capite, libertate et civitatis iure nullum nisi populi iudicium valuisse; leges iubere, bellum pacemque decernere, foedera cum aliis inire populis atque dissolvere, in populi semper mansit potestate. An vero comitiorum ratio apud Romanos e pastorali sive erratica vita originem ducat, si quis etiam nunc dubitet, audiat, quaeso, *ministrorum cornua bubula*, quibus antea oves, boves et porci cogebantur (2), Quirites ad comitia buccinantia (3); videat, quomodo per omne reipublicae tempus instar pecorum gregum intra septa cogantur, tabulatis includantur, dum ipse comitiorum locus, a pecore *ovile* dictus, nomen semper servavit (4), ita ut, quum domus marmore, ebore et auro iam niterent, gramine adhuc fuerit obsitus ille campus, quasi si semper in priscae vitae pastoritiae memoriam, quam maiores egerant, hoc modo redire vellent. (5)

Singulis itaque, quae ad publicum statum apud priscos Romanos spectabant, expositis rebus, dubium

(1) Cic. Fragm. de Republ. L. 1.

(2) Colum. de Re Rust. L. 6. c. 23. Varro de Re Rust. L. 2. c. 4. L. 3. c. 13.

(3) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 18.

(4) Juv. Sat. 6. v. 528. ibi Schol. Ipsum autem sollenne verbum *cogere*, quod de civium comitiis, uti et de Senatoribus, usurpatur (Prop. L. 4. El. 1. v. 13.), desumtum est a compellendo pecore. Cf. Virg. Ecl. 3. v. 20. 98. et Ecl. 6. v. 89.

(5) Cf. Pitisc., Lex. Ant. in voc. *ovile*.

bium quidem cuiquam esſe haud poteſt, quin illa regiminis forma, quam primis reipublicae temporibus habuere, tota e vita nomadica ſit derivanda: In civilem enim ſocietatem coëuntes in ſtatu publico omnia illa iura, quae, ut vidimus, e priore vita illis adhaerebant, quantum, ſalva republica, fieri potuit, ſarta tecta et integra ſervarunt; quae vero in privatis rebus remanſerint nomadica iura, de iis infra dicendi locus erit. Videamus iam, quaenam erraticae vitae veſtigia in *ſacris* et *ſacrorum ritibus* inveniantur, et quamdiu illae nomadicae religiones viguerint.



CAPUT SECUNDUM.

DE SACRIS PUBLICIS.

§. 1.

De sacrorum origine apud gentes.

Omnes gentes barbarae, quamvis instabili vagantes sede, obscuro certe interno sensu, cuique homini insito, duci videntur, ut, cum naturam circum se contemplentur, verum Deum, qui omnia suo numine gubernat, ignorantes, neque efficientes causas cernentes, aliquid animo fingant, a quo se suaque curari credunt, et cui, quaecunque bona malave sibi evenerint, accepta referunt, quodque eam ob causam colunt atque divino prosequuntur honore. (1) Illud vero, cui cultum exhibent, quid, quale sit, in ipsius gentis exculto vel minus culto statu situm esse videtur, quandoquidem apud omnes gentes, sicuti ipse homo est, ita quoque eius dii inveniuntur, quippe in suis diis fingendis semper se ipse respicit consulitque, et his eosdem, quibus ipse regitur vel rapitur, animi motus et affectus tribuit, dum internus religionis sensus ab externis rebus, quae se offerunt, formas re-

(1) Cf. Cic. Tuscul. Quaest. L. 1. c. 13; Polyb. Histor. L. 17. c. 54.

recipit, quae quidem quo magis animi et ingenii facultates excoluntur et perpoliuntur, eo propius ad verum Dei cultum accedunt, ita quidem, ut, si qua gens sit barbara, eiusdem saevitiae ac barbariei quoque dii eius esse debeant. Barbarus sua humana sacrificia Saturno suo gratissima credit, et eadem Diti aliisve saevis diis offert. Propter latrocinia, quibus admodum ipse delectatur, Martem suum latronem bellicosum fingit et rapinae, quam a vicinis fecit gentibus, partem, ubi hunc sibi propitium fuisse putat, grato animo ei exhibet. Deinde vero minus ferus, quum iam greges et armenta alens pastoralem sequitur vitam, ex hac quoque deos sibi legat necesse est: Tum Faunum, Sylvanum aliosque minus saevos agnoscit assumitque deos; Pan tum curat oves oviumque magistros; tum lac, mel, et festis diebus caper, ovis, porcus, nonnunquam taurus pastoritiis sacrificatur diis, quamvis nec prioris barbarae vitae sacra saeviora omittat pastor. Ubi autem, temporis progressu, suadente terra, agros colere incipit, habet agricola Terminum deum, qui singulorum fines regit, habet Cererem aliosve, qui agris fertilitatem largiuntur, et pro maiore minoreve cuiusque rustici cultu et honore eam augere vel minuere creduntur. Tum praeter pastoralia munera, etiam liba ex farre, frugum et fructuum praestantissimi feruntur benignis diis. Ex quovis statu ante civilem societatem sic colit quaeque familia seu stirps deos, quos sibi suisque prae ceteris propitios fingit. Tandem vero ad civile

vitae genus adſcendens, hos ſecum transire cogit, et ſuo quemque more colere pergit, donec melioribus imbutus moribus eorum ſacra praetermittat, quae ſaniori rationi iam obſtant, aliaque ſibi eligat, quae tum ingenii tum animi facultatibus cultioribus magis congrua ſunt.

§. 2.

De origine deorum privatorum et publicorum.

Hisce ſacris omni tempore ſtirpis caput, neminem ſe maiorem agnoscens, praeërat, eorumque ritus adminiſtrabat, et, quamquam ſenſim familia augebatur, eosdem deos, quamdiu ſub eodem patriarcha omnes coniuncti vivebant, tamquam ſuae ſtirpis lares ac penates divino proſequebatur cultu; ſingulis vero, patriarcha mortuo, novas deinceps familias conſtituentibus, patriis diis novi, veteribusque ritibus alii addebantur, atque, ſic temporis progreſſu, quum ſtirpes in tribus, tribus in civitatis ſpeciem coalescerent, et ſuos quisque deos, quos antea, ſeparatim oberrans, habuerat, cum ſua ſtirpe Pater nihilominus colere non cesſaret, deorum numerus mirum in modum accreverit, cultusque admodum diverſi fuerint necesſe est.

Cum vero non raro accideret, ut multae ſtirpes eundem vel eosdem deos, cultu parum diverſo, colerent, id quod inter gentes, quales Romani, in eadem regione degentes, et fere omnes ex eadem ſtir-

ſtirpe olim oriundas, necesſario locum habere debuit, ad civitatis tranquillitatem confirmandam, omnes eiusmodi dii cum ſacris ab omnibus asſumebantur atque tum *publici* fiebant, qui antea complurium familiarum fuerant *privati*, atque ſic divinus cultus omnibus eiusdem tribus vel civitatis ſenſim communis exoriebatur, qui, mutuum inter illas ſtirpes vinculum conſtituens, ad omnium felicitatem promovendam, mirum quantum, faciebat. Haec ſi conſideramus, explicatu facile est, unde Romani, posteaquam in civilem ſocietatem coierunt, gentis ſuae ſacra, Lares ac Penates, a reliquis diverſos, habuerint, coluerint privatumque horum cultum tam inſignem in omnes ſuae gentis posteros propagarint, ut huius veſtigia nomadica diutisſime in Romana republica remanerent. Unde Romani etiam, magna ex parte ex Alba Longa orti, plurimos deos et plurima ſacra inter ſe cum hac urbe et reliquis Latii gentibus communia habuerunt, quorum cultus *publicus* factus est, uti et ipſi dii inter publicos ſunt recepti.

§. 3.

De Romulo, ſacrorum praeſide, et Numa Pompilio.

Quemadmodum vero in quaque nomadica familia ſtirpis caput ſacra obit ritusque obſervare ſolet, qui

a

a maioribus traditi ſtirpi adhaerent (1); ſic quoque Romulus, tamquam omnium illarum ſtirpium, quae ſe ducem caputque elegerant et Romam convenerant, pater et ſacerdos publice receptorum deorum ſacra curavit et administravit (2). Non enim ab his vetustisſimis temporibus repetenda est illa politica ratio, quae cultum divinum imperii partem esſe iubet, et qua populus divinarum poenarum timore contineatur, ſed potius referendum est hoc duplex patris et ſacerdotis munus ad maiestatem, qua res divinae confici debebant. Sicuti inter nomadicas gentes ſemper in ſummo honore ſunt, qui res divinas curant et religiones interpretantur (3). Quum vero temporis progresſu ſacra et civilia ita coniunxerunt Romani, ut in comitiis Pontifices praeesſent, ſacerdotes iurisconſultorum augurumque munus obirent, Pontifices de omnibus causſis, ad ſacra pertinentibus, iudicarent, leges de rebus ſacris conderent, de deorum cultu et religionibus reſponderent, denique Pontifices Maximi ſummi magistratus esſent, tum demum ortum videtur illud, ut res ſacrae ad politicas, hae vero, cum illis coniunctae, ad publicam Romanorum ſalutem plurimum facerent.

Romulo deinde de medio ſublato, Numa Pompilius intelligens, ſe illam nomadum turbam, e tot di-

(1) Tac. de morib. Germ. c. 10.
(2) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 14.
(3) Iul. Caes. de bell. Gall. L. 6. c. 13, 15.

diverſis ſtirpibus iam conflatam, priorum latrocinio-rum ſive belli ſtudiis a Romulo non ſatis temperatis, patriarchali ratione non ſub ſuam retenturum potestatem, niſi id ageret, quod omnes nomadicarum gentium duces et barbaris imperantes populis fecerunt, ut deorum metum, ad imperitam plebem regendam efficacisſimum, multitudini iniiceret, ſacris caerimoniisque variis inſtituendis et confirmandis deae Egeriae monitu, uti affirmabat, effecit, teste Floro, ut *quod vi et iniuria occupaverat imperium, religione atque iuſtitia gubernaret* (1); ubi enim rebus humanis coeleste numen interesſe videtur, ſit, ut proximo legum ac poenarum metu regantur gentes (2). Quae vero post Numae mortem introducta ſunt ſacra ac religiones apud Romanos, omnino tribuenda ſunt principum artibus in civitate, ut plebis animos aut augerent aut deprimerent, ut militem populum, aut ad bellum cierent, aut a bello avocarent, ut comitia ad leges ferendas aut antiquandas pellicerent, variisque nugis Quiritium mentes delinientes, hos circumducerent, quocunque ſibi placuisſet.

§. 4.

De Feriis Latinis.

Ut vero ad deos atque eorum ſacra redeamus, quae e vita erratica originem ducunt et una cum ſtir-

(1) Flor. Hiſt. Rom. L. I. c. 2.

(2) Liv. Hiſt. Rom. L. I. c. 20.

stirpibus in civitatem Romanam transiere, primo quidem huc spectare videtur *Iovis Latiaris* cultus. *Feriae* enim *Latinae*, ab Albanis ad Romanos transmisfae, eiusmodi fuere facra, quae quotannis per aliquot dies in Albano monte cum omnibus Latii populis, eum in finem huc congregatis, in communis originis, ut videtur, memoriam celebrarentur. Tum enim unus taurus, deo universi Latii, communi gentium nomine, immolatus, inter fingulas gentes distribuebatur; hae autem, ad hoc nomadicum festum invitatae, nomadicae vitae cibos, agnos, cafeum et lac adferebant, quibus per eos dies alerentur (1). Erant vero hae *Feriae* tam folennes, ut, tamquam inter populum Romanum Latinosque eo tempore induciae esfent, bellum inchoari non deceret (2).

Quamquam vero per multa faecula a Romanis in hoc festo hominem quoque immolatum Lactantius innuere videtur, quum dicit (3): *Latiaris Iupiter etiam nunc fanguine colitur humano*, non tamen propterea haec facra minus e nomadica vita orta dici posfunt, fed multo magis ab illis barbaris temporibus repetenda funt, quibus gentes humanas victimas diis obtulerunt, licet huius humani

(1) Dion. Hal. A. R. L. 4. c. 49.

(2) Macrob. Sat. L. 1. c. 16.

(3) Instit. Div. L. 1. c. 21. Cf. Tertull. advers. Gnost. c. 7. Minut. Fel. p. 297. Ed. Elmenh. Athan. contr. Gent. p. 21.

ni facrificii a nullo Romanorum historico ante Lactantium mentio fiat. Utrum igitur haec barbaries ad eas ferias Latinas, ad quas ex omnibus ftirpibus, in eadem regione eodemque tractu cum pecoribus oberrantibus, nonnulli quotannis certo die conveniebant, et ad pacem amicitiamque inter gentes colendas folenne foedus inibant, an, quod magis fimile vero videtur, ad alia facra, Iovi Latiari oblata, fit referenda, plane latet.

§. 5.

De Lupercalibus.

Inter vitae erraticae facra non minus nominari merentur *Lupercalia*, ut pote quae ipfi Romani a pastorali vita, quam olim maiores egerant, repetenda duxerint; haec enim ab Euandro, prisci temporis rege, derivant, adeoque a tempore, quo gentes in Italia patriarchali modo vivebant, quaeque etiam Ciceronis tempore tam nomadico peragebantur modo, ut ab hoc Romano, magis exculto quam reliqui, dicantur (1): *Fera quaedam fodalitas et plane pastoritia atque agrestis germanorum lupercorum, quorum coitio illa fylvestris ante est inftituta, quam humanitas atque leges.* Nec mirum: in his enim Pani five Luperco, pastorum deo, lac offerentes et caprum facrificantes, ut lupos a pecore arceret, fubligaculis praecincti, cetera nudi, per

(1) Pro M. Coel. c. 11.

per urbem discurrebant et flagellis, ex pellibus caprinis factis, mulieres aliosve obvios verberabant (1). Quantopere autem haec nomadica sacra Romanis omni tempore in deliciis fuerint, inde patet, quod, quum diu Romae duae Lupercorum, sive Luperci sacerdotum sodalitates essent, quae quotannis sacra facerent, Iulius Caesar ad Fabiorum et Quinctiliorum tertium collegium Iuliorum addiderit (2). Augustus deinde haec, suo tempore aliquamdiu remissa, restituit (3), atque ita pastoralia sacra ad Anastasii Imp. tempus manserunt: tum enim Gelasius, Pontifex Maximus anno C. N. CCCCLXXXXVI ea diutius ferre noluit, et quia inter Romanos Senatores multi iis favebant, multum in ea invectus fuit, quo facto tandem cessasse videntur (4).

§. 6.

De Paliliis.

Quis inter nomadica sacra non in memoriam *Paliliorum* redeat, vetustissimorum sacrorum, quibus qui-

(1) DION. HAL. A. R. L. 1. c. 88. LIV. Hist. Rom. L. 1. c. 5. PLUT. Quaest. Rom. c. 67. Id. in Romul. c. 20. VAL. MAX. L. 2. c. 2. § 9. Quum autem postea huius dei simulacrum finxere Romani, ut plane pastoriam originem indicaret, Satyrum nudum, caprina pelle amictum, sibi fecerunt. IUST. Hist. 43. 1.

(2) DION CASS. L. 44.

(3) SUET. vit. Aug. c. 31.

(4) BARONIUS Tom. 6. ad A. 496. N. 28. sqq.

quidem Romani, ut in civilem societatem transierunt, natalem urbis diem celebrarunt; quae vero diutissime ante Romam conditam sive occupatam iam inter pastorias gentes locum habuisse ipsa sollennia satis testantur: pastores enim ovilia tum purgantes et solenni ritu oves lustrantes Pali, pastorum deae, lacte et libis, e milio et sapa (1) confectis, pro felici partu pecoris sacra solvebant, *Consulat ut pecori pariter pecorisque magistris.* His finitis, acervi, ex congesto foeno aut collectis stipulis facti, accendebantur, quos pastores, ut fumo corpora expiarent, transilire solebant. Varios autem ritus, quos postea Romani in his sacris observarunt, narrat Ovidius. (2)

Tandem hoc festum pastoritium inter honores, Iulio Caesari decretos, est celebratum (3), uti etiam postea dies, quo Caligula imperii auspicium fecit, Paliliorum nomen obtinuit. (4)

§. 7.

De Saturnalibus.

Nec omittenda sunt hoc loco Saturnalia, quibus nomadicam vitam in memoriam revocarunt Ro-

(1) *Sapa*, ex melle confecta potio, postea *mellaceum* dicta, NONN. in voc.

(2) FAST. L. 4. v. 721 sqq. Cf. TIBULL. L. 2. El. 5. v. 27. 87. sqq. PROP. L. 4. El. 4. v. 71.

(3) DION CASS. L. 44. p. 234.

(4) SUET. in Cal. vit. c. 16.

Romani, qua, Saturno deo in Italia regnante, homines, nondum in civitatem coacti nullisque definiti terminis, nomadum more, libere oberrarunt, omnesque parem libertatem habuerunt, quapropter etiam ad ea celebranda per omnes dies, nullum inter servos et dominos discrimen requirebatur; sed servi, omnium immunes operum, libere, quidquid vellent, facere poterant; muneraque gladiatoria, quae his festis diebus edebantur, humanorum sacrificiorum, quibus ille deus olim delectatus fuerat, memoriam renovabant (1). Nec dubium videtur, quin ipsi gladiatores hanc ob caussam Saturno sacri fuerint. (2)

§. 8.

De Saliis.

Quamquam *Saliorum* originem ad Numae institutionem Romanorum historici referunt (3), altius ta-

(1) Macrob. Sat. L. I. c. 7.

(2) Erravit itaque Livius, qui ea anno U. C. CCLVII instituta refert, cum iam ante U. C. cognita fuisse et Varro (*) et Macrobius (†) testentur, et ipsa sacra perspicue demonstrent.

(3) Dion. Hal. A.R. L. 2. c. 70. 71. Plut. in Num. Salios ante U. C. Herculis sacerdotes fuisse testatur Macrobius Sat. 3. 12. Cf. Virg. Aen. L. 7. v. 285. ibiq. Serv. Livius quoque (Hist. Rom. Lib. I. c. 20.) dixit le-

(*) De L. L. c. 5.
(†) Sat. L. I. c. 7.

tamen eam repetendam esse quis non videt? Prudens enim hic legislator nomadicum illum morem, qui potius e venatoria quam pastorali vita est derivandus, ideo tantum arripuisse videtur, quo novum sui populi nomadici ducendi vinculum inveniret, utpote qui assiduis primo latrociniis, deinde bellis, sub Romulo cum vicinis gentibus gestis, iam tam Martialis esset factus, ut a bello, quantum posset, eum revocare utile arbitraretur, adeoque sacra, quae ex sua barbara institutione ad bellicam virtutem excitabant, deorum cultu compesceret. Manserunt nihilominus ritus horum sacrorum, e quibus de nomadica eorum origine non dubium iudicium ferre licet.

Ineunte enim Martio mense quotannis, in Martis, urbis dei, honorem ad tibiarum modos gesticulabantur, nunc simul, nunc per vices axamenta, sive paeanes quosdam patrios, canentes, quae antiqua carmina ipsis Romanis deinde tam obscura fuerunt, ut vix ab ipsis Saliorum sacerdotibus satis intelligi possent. (1) Accincti singuli gladio, dex-

legit, uti FLORUS (Hist. Rom. L. 1. c. 2.) *descripsit*, id est, in certum ordinem redegit Numa, cum ea etiam Urbe vetustiora putet FESTUS, in voc. *Salii*. Mirum vero nemini hoc scriptorum discrimen videri potest, cogitanti, quam parum certi per quinque priora saecula de Romanorum historia et de rebus, ad eam pertinentibus, statuere liceat, nisi e posterioris temporis moribus lux adsit; quae ad eorum originem nobis praeluceat.

(1) QUINCTIL. L. 1. c. 6. Indicabant autem, uti VAR-

dextra lanceam, finistra ancile tenentes, ita armati faltabant, et, gladiis ad fcutum collifis, crebros ciebant ftrepitus et motus, quos Praeful *amptruabat*, five edebat, et reliqui *redamptruabant*, five repetebant. Peractis mox facris et tripudio, opiparis excipiebantur epulis.

Quum autem haec facra cum iis comparamus, quae inter gentes Afiae et Africae, aliasque barbaras aut ad laetitiam ob reportatam ab hostibus victoriam aliave fausta testanda, aut, ftatutis temporibus, in deorum honorem faltationibus quibusdam, et ad tympanorum fonum peragi, femperque communibus epulis finiri folent, fane nemini dubium esfe potest, quin apud Romanos etiam ab illis temporibus fint repetenda, quibus, venatoriam barbaramque vitam agentes, cum venationis fociis hoc modo laetitia exfultabant; quem morem deinde Romani, cum tota respublica, Romulo duce, ad bellum esfet compofita, non fervarunt folum, fed ad bellicam virtutem etiam accommodarunt.

§. 9.

De nonnullis facrorum ritibus, e vita nomadica oriundis.

Etfi facra, quae memoravimus, et plura alia, inter quae fine dubio Fauni Sylvanique referenda funt, pri-

VARRO ait, veterem memoriam inftitutionis. Vid. de L. L. c. 3, in voc. *Mamurius Veturius.*

priscae pastorali vitae originem debent, aliter tamen fieri non potuit, quin temporis progressu multi ritus a pontificibus fuerint priscis sacris additi, qui vel ex agricolarum vel e civili vita fuere desumti, unde pristinam nomadicam formam quodammodo amiserunt, sicuti quoque in sacris, posteriore tempore institutis, multa in ritibus vitam pastoriam sapiunt, quam sub regibus certe ex parte tantum reliquerant. Quoniam vero in tam obscura re omnia separare atque distinguere difficile est, potius, ne incerta pro certis referam, et quaecunque sese animo offerunt, promiscue afferendo lectores fatigem, satietati eorum occurrens plurima, quae alioquin huc spectare videbantur, hic omittenda putavi. Romani enim in sacris multa Graeciae colonis, in Italia advenis; plurima vero Etruscis, genti iam eo tempore ceteris magis excultae, accepta referre debent, quorum urbem *Caere* propterea *sacrarium populi Romani*, *deversorium sacerdotum ac receptaculum Romanorum sacrorum* Livius vocavit (1), quam tamen gentem etiam antea nomadicam fuisse quis dubitet?

§. 10.

De apparatu sacrorum nomadico.

Si iam ad sacrorum apparatum, qui speciem non dubiam vitae pastoralis prae se fert, attendamus, sine

(1) Liv. Hist. Rom. L. 7. c. 20.

fine dubio huc fpectat *lactis* ufus in facris. Hoc enim Romulus in omnibus facris inftituisfe dicitur (1), uti Numa, quum, civitate iam conftituta, agrorum cultioni Romani ftuderent, deos frugibus colere et iis mola falfa fupplicare inftituit. (2) Quum vero animo perpendimus, paftoralem populum, quales Romani fuerunt, nihil praeter pecora, bubulum, ovillum et caprinum, habuisfe, quod diis offerrent, mirum videri nequit, hunc regem lactis ufum confirmasfe in facris, cuius ufum etiam pofteriores Romani in plurimis facrificiis, in primis deorum rusticorum retinuerunt; inferis autem diis femper, fi victimis abftinerent Romani, lacte facrificarunt. (3) Ad hanc nomadicam fimplicitatem Plinii quoque verba fpectant, quum dicit: *L. Papirius, Imperator, adverfus Samnites dimicaturus, votum fecit, fi vicisfet, Iovi* POCILLUM VINI; addit autem de fuo tempore fcribens: *Denique inter dona* SEXTARIOS LACTIS *datos invenimus, nusquam vini.* (4) Sic quoque in veterem lactis memoriam in Bonae deae facris vinum, quod in milliario, five amphora, feminae facrificantes bibebant, et quod gustare illis non licebat, fem-

(1) PLIN. Hift. Nat. L. 14. c. 14.

(2) Idem L. 18. c. 2.

(3) VIRG. Aen. L. 3. v. 66. L. 9. v. 215. SIL. Ital. L. 4. v. 548. Cf. L. 10. v. 519. L. 11. v. 82.

(4) PLIN. Hift. Nat. L. 14. c. 14.

ſemper *lac* vocarunt. (1) Ad nomadicam originem ſpectare quoque videtur, Romanos, non aureis neque argenteis vaſis, in quibus libationes infuſae esſent, ſed *capedinibus testaceis* uſos fuisſe; nec quidquam ad hanc priſcam frugalitatem in deorum cultu postea a luxurioſis Quiritibus additum fuisſe, teſtis eſt Dionyſius Halicarnasſeus. (2)

Quum victimae ſacrificarentur, quae omnes e vita paſtorali erant deſumtae, paucis exceptis, quas poſterior uſus introduxit, vittae, e *lana* confectae, victimarum ac ſacrificantium capita cingebant (3), uti et aras, quae ipſae, priſcam nomadicam ſimplicitatem teſtantes, per omnia reipublicae Romanae tempora ut plurimum e *cespitibus* exſtructae fuere (4), adeoque ſpeciem non dubiam nomadicae originis prae ſe ferebant: lanificium enim nomadicis gentibus propter oves notisſimum fuit, utpote quod animal transeuntibus e venatoria ad paſtoralem vitam, ubicunque invenitur, primum fuerit, quod captum manſueſceret. (5)

§. 11.

(1) Macrob. Saturn. L. 1. c. 12. Plut. Quaest. Rom. 20.

(2) A. R. L. 2. c. 23.

(3) Virg. Aen. L. 4. v. 458. Propert. L. 4. El. 6. v. 6. Cf. Passer. Paralip. Dempſt. p. 126.

(4) Sil. Ital. L. 4. v. 703. L. 16. v. 263. Hor. L. 1. Od. 19. v. 18. Ov. Trist. L. 5. El. 5. v. 10.

(5) Vid. infr. C. de Ritib. Nupt. nom.

§ 11.

De lucis, auspiciis et auguriis.

Quemadmodum autem Germani (1) aliique antiquissimi populi (2) *lucos* consecrabant, et secretum illud, quod sola reverentia vident, deorum nominibus appellabant, sic Romani omni tempore plurimos *lucos* etiam in urbe habuerunt, in quibus propter illud horrendum, quod procerarum arborum congerie in hominum mentes imprimitur, deos imprimis habitare arbitrati sunt iisque sacrificarunt: *Si*, ait Seneca (3), *tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus, et conspectum coeli densitate ramorum, aliorum alios protegentium, submovens: illa proceritas sylvae et secretum loci et admiratio umbrae, in aperto tam densae atque continuae, fidem tibi numinis facit.*

Quid de *auspiciis* et *auguriis*, sine quibus, expulsis regibus, nihil publice nec domi nec militiae gerebatur, plura dicam, ad indicandum, haec quoque e nomadica vita originem traxisse, quam Germanos auspicia sortesque maxime quoque observasse, et avium voces volatusque in omnibus inter-

(1) Tacit. de Mor. Germ. c. 7, 10. et saepe.

(2) De Israëlit. vid. Lib. Iudic. c. 3. c. 7. Esaiae c. 17. c. 8. Regum L. 2. c. 17. c. 16.

(3) Epist. 41.

terrogasſe tam privatis quam publicis rebus. (1) Ipſe autem Romulus auguriis, quae de regno auſpicando cepisſe traditur, iam ea arte excelluisſe videtur, cuius auguratus a Cicerone *paſtoralis* vocatur, utpote *qui paſtoribus praeesſet* (2); haec enim ars inter gentes, quae ſemper, uti omnes nomades erratici, ſub dio verſantur, et ſidera, aves ac pecora asſidue ante oculos habent, ubique facile inveniri debuit. (3) Quomodo vero postea hanc artem ad imperitam plebem ducendam adhibuerint, utpote quae a diis hoc modo ſuam voluntatem ſignificari crederet, inde patet, quod hoc ſacerdotium nemini, ne ob maxima quidem flagitia, adimi potuerit, *ne auguratus ſcientia arcana plebi innotesceret.* (4) Namque augures e coelo, avibus et diris, quae populo Romano conducerent, obſervantes, omnium rerum ſolennium et publicarum initia procurabant, unde Plutarchi (5) verba explicanda ſunt, *quod viris, qui reipublicae praeſunt, conducat, ut ſuperſtitione, quaſi freno, temerariam et disſolutam plebem compeſcant et ad utilia cogant.*

§. 12.

(1) Tac. de Mor. Germ. c. 10. Cf. Lib. Regum L. 2. c. 17. c. 17.

(2) De Divinat. L. 1. c. 47 et 48.

(3) Cf. Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 5.

(4) Plut. Quaest. Rom. 97. Cf. Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 6.

(5) De Gen. Socrat. c. 9.

§. 12.

De superstitione nomadica apud Romanos.

Omnibus incultis gentibus eadem est superstitio, ex eodem fonte deducta, ex metu et anxietate, quae vero naturalium rerum imperitia mirum in modum alitur; hinc omnia eventa, quae ab humana mente praevideri nequeunt, ab invisis Geniis dirigi putant, quapropter etiam barbarus quisque et nomas in caussis obscuris suae ipsius perturbationis victima est, et cum se prudentia aut fortitudine a metu tutum praestare possit, potius ad divinationes confugit et ad varietatem observationum, quibus confidit, quasque veneratur, quia omnia, sibi imperitia haud explicabilia, a proxima dei cuiusdam operatione deducit. Romanus autem nomadicis maxime superstitionibus addictus mansit, quoniam reipublicae sacra et deorum cultus propter *auspicia*, *auguria Sibyllinosque libros* ab his separari haud poterant. In primis vero huc referri merentur *dies atri*, *ominosi*, aliique, quibus, uti Germani, Celtae pluresque nomadicae gentes, nihil suscipiebant (1); porro *magicae superstitiones* huc quoque spectare videntur, quibus omni tempo-

(1) Tacit. de Mor. Germ. c. 11. Ol. Worm. Fast. Danic. L. 2, c. 23.

pore maximam habuere fidem, quae quidem omnibus gentibus, maxime vero incultis, ſunt propriae, et e barbara et paſtoritia vita etiam originem ducunt; ſicuti magicae artes, inter quas etiam faſcinationes, quae per oculos fieri credebantur (1), Arabibus adhuc in uſu eſſe traduntur (2).

Ad ſacra publica, quae e vita nomadica originem ducunt, pertinent etiam *humanae victimae*, ut pote quae partim ad *ſuperſtitionem*, partim ad *deorum cultum* ſpectarunt, de quibus igitur hic quoque agendi locus erit.

(1) VIRG. Ecl. 3. v. 103

(2) D'ARVIEUX, Reis naar d. g. Emir, bl. 328. 336 enz. A conciſe hiſtory of the Moors in Spain by BOURKE, Lond. 1811.



CA-

CAPUT TERTIUM.

DE SACRIFICIIS HUMANIS.

§. 1.

De Romanis, homines sacrificantibus.

Quum sacrificia humana, quae apud Romanos a vetustissimis inde temporibus ad extremum imperium in usu fuerunt, consideramus, profecto non omnes nomadicas gentes eorundem crudelium morum eiusdemque inhumanitatis fuisse, nec idem vitae institutum servasse, facile convincimur, si cum priscis Romanis multi e nuper detectis et cognitis populis comparantur. Quam feri enim, quam saevi et minime humani, vel ipso fuerunt tempore, quo, iam omni artium et literarum genere abundantes, sese ad humanitatis fastigium pervenisse gloriarentur? Etenim quamquam, non humanae carnis avidi, captivos eo fine non mactabant, ut eorum carne instar Cannibalium vescerentur et sanguine alerentur, eam tamen barbaram consuetudinem, qua deos humano sanguine delectari, eorumque iram humana caede placari putarent, uti olim Scythae (1), Germa-

(1) Strabo, Geogr. L. 1. p. 58.

mani (1), Galli (2) aliique (3) et adhuc plurimae Asiae atque Africae gentes (4), ad ultimum Romani imperii tempus locum habuisse, donec Christianis praeceptis mitigarentur, abunde constat; nec tam rara fuit illa humanarum victimarum immolatio, quin, historia duce, ordine haec barbarae et nomadicae vitae vestigia persequi possimus.

§. 2.

De Saturni et Ditis sacrificiis et puerorum immolatione.

Antiquissimis temporibus Romani nomades Saturno humanas victimas obtulerunt, quem statutum ac annuum sacrorum morem Hercules abolens, aram in colle Saturni fundasse, et, ut sanctae hostiae puris adolerentur ignibus, et pro hominibus oscilla, horum habitu exornata, in fluvium mitterentur, auctor fuisse traditur; quem quidem morem po-

(1) Tac. de Mor. Germ. c. 9. et 39.

(2) Caes. de Bell. Gall. L. 6. c. 15. Iust. Hist. L. 26. c. 2. Cic. pro Fonteio c. 10.

(3) Lib. Reg. 2. c. 3. c. 27. Cf. Tac. Ann. L. 14. c. 30. extr.

(4) Bryant Observations and Inquries, relat. to various parts of ancient history, § de *anthropothusia*. Meiners de hum. sacrif. in Comm. Societ. Gott., Vol. 9.

posteriore tempore servarunt, ut quotannis, Idibus Maiis, triginta hominum imagines de Sacro Ponte in Tiberim deiicerent. (1) Sic quoque Ditem humanis capitibus placasse dicuntur, et pro familiarium sospitalitate Maniae Deae, matri Larium, pueros olim a Romanis fuisse mactatos, testis est Macrobius. (2) Quod quidem crudele sacrificii genus, quamvis a Bruto Consule, alio minus saevo modo celebrandum, sit institutum; non ita tamen abrogari potuit, quin C. Marius priorem barbarum in subolem saeviendi morem renovaret, quippe qui anno U. C. DCL, ut adversus Cimbros feliciter rem gereret, Calpurniam filiam Diis Manibus immolaverit. (3) Quum vero animo reputamus, quam libere Romanis de liberis suis agere, quam crudeliter eos vendere, exponere, interficere licuerit, et quam superstitiosi omni tempore fuerint, non mirum videri potest, hunc inhumanum ac barbarum morem semper in usu fuisse, cum ipse Maxentius, Imperator, e dissectis infantibus auguria cepisse tradatur (4), et alios non minus saevos usus Romanorum historia ubique prodat.

§. 3.

(1) PLUT. Quaest. Rom. 32. DION. HAL. A. R. L. I. c. 38.

(2) SATURN. L. I. c. 7. med. et extr.

(3) CLEM. ALEX. Coh. ad Gent. PLUT. Paral. 20.

(4) ZONARAS Annal. Tom. 3. princ.

§. 3.

De sacrificiis religiosis, seu ex Sibyllinis libris.

Quam inhumane sane, primo bello Punico, quum bellum cum Gallis instaret, ex Sibyllinorum librorum vaticinio, Graecus et Graeca, Gallus et Galla, ad publicum malum avertendum, vivi Romae in foro Boario sub terram fuere demissi? (1) Apud Romanos autem eo tempore id sacrificii genus non rarum fuisse testantur Plutarchi verba, eiusmodi speciem sed posterioris temporis referentis (2): *Cur*, rogat, *Romani, cum inaudivissent a Bletonnesiis, qui est populus Barbarus, immolatum diis hominem esse, eorum magistratus acciverunt, ut poenas de iis sumerent: Cum autem appareret, legis cuiusdam iussu id factum, missos eos fecerunt; sed isto sacrificio in posterum interdixerunt? Ipsi vero, non multis ante annis, duos viros totidemque mulieres in foro Boario, alteros Graecos, alteras Graecas, vivos defoderunt? Videtur enim absurdum ista facere et barbaris tamquam nefaria exprobrare eadem. An diis immolare homines nefas putabant; geniis autem necessitatem cogere? Aut*

(1) Liv. Hist. Rom. L. 20. c. 57. Quod vero Livius *hoc sacrum minime Romanum* dixerit, videatur, qui eum egregie refellit, Clar. GRATAMA in addit. ad Orat. *de fera nec multum prov. Quirit. human. Harderov.* 1808.

(2) Quaest. Rom. 83. et in Marc. c. 2.

Aut qui consuetudine ac lege ista sacrificia recepissent, eos peccare existimantes, ipsi Sibyllinis libris mandantibus istud fecerunt? Livius autem locum, in quem demittebantur, saxo conseptum fuisse dicit, quique adeo huic fini semper inserviisse videtur. Hoc vero sacrificii genus ad Plinii tempora non interruptum fuisse testantur eius verba, quum dicit: (1) *Boario in foro Graecum Graecamque defossos, aut aliarum gentium, cum quibus tum res esset, etiam nostra aetas vidit. Cuius sacri precationem, qua solet praeire Quindecim-Virum Collegii magister, si quis legat, profecto vim carminum fateatur, ea omnia approbantibus octingentorum triginta annorum eventibus.* (2)

Ali-

(1) Nat. Hist. L. 28. c. 3.

(2) Quibus posterioribus verbis constat, Senatusconsultum, quod anno U. C. DCLVII Cn. Cornelio Lentulo, C. Licinio Crasso Cosf. factum est, ne homo immolaretur, *quae sacri prodigiosi celebratio*, uti addit Plinius (L. 30. c. 3.), *in tempus illud palam fuit factum*, non intelligendum esse de his sacrificils, quibus Romani ex libris Sibyllinis peregrinos vivos sub terram defodere solebant, neque de aliis modis hominum mactandorum, qui Romae in usu erant, sed tantum de iis, qui arti magicae originem debebant, qua homines occidebantur, ut necati corporis partes magicis vanitatibus inservirent et comederentur: De magia enim loquitur Plinius, et paulo post ipse sic pergit: *Nec satis aestimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat,* MANDI *vero etiam saluberrimum.*

Alia igitur ſacrificia humana, ac quae Sibyllinorum librorum iusſu fiebant, in uſu fuiſſe patet ex Dionis Casſii (1) verbis, qui de humanis victimis, triumphi die Iulii Caeſaris immolatis, agens, narrat, *duos alios viros in modo quodam ſacrificii esſe iugulatos; pergit autem: Causſam quidem dicere non posſum; neque enim Sibylla haec praeceperat, neque aliud quoddam in hanc ſententiam oraculum exstabat. In Campo vero Martio a Pontificibus et Salio* IMMOLATI SUNT.

§. 4.

De Sacrificiis ex vindicta, ſeu *de captivis immolandis.*

Cum Romani id ſibi perſuaſum haberent, defunctorum animos ira ac vindictae cupidine ſummopere incenſos esſe, quia acerba morte dulci vitae ac lucis uſu orbati erant, quod quidem iis imprimis accidisſe credebant, qui clandestinis inſidiis vel hostium ferro praematuram occubuerant mortem; hinc explicandum est, ipſum Augustum, Peruſia capta, trecentos, ex dedititiis electos, utriusque ordinis, ad aram, Divo Iulio exſtructam, Idibus Martiis hostiarum more mactasſe. (2).

Quemadmodum humanis ſacrificiis deorum gratiam

(1) L. 43.
(2) SUET. Vit. Aug. c. 15.

tiam et beneficia mereri ſeſe putabant, ſic iisdem quoque victimis gratum animum pro acceptis beneficiis indicabant; hinc ergo originem ducit barbarus ille mos, quo captivi, ante triumphalem currum ducti, mox in carcere ſtrangulabantur, atque ita, ut Cicero ait, (1) *idem dies et victoribus imperii et victis vitae finem faciebat.*

Etſi vero temporis progreſſu rariora quidem humana ſacrificia fuiſſe videntur, quia rariora eorum exempla memoriae prodita ſunt, numquam tamen neque legibus neque moribus ſunt ſublata: Aureliani Imp. enim tempore, adeoque ſaeculo tertio fere extremo post C. N., annuo ſacro Iovi Latiari hominem mactare ſolebant (2). Ipſe autem Aurelianus captos ſervos Iovi voviſſe traditur (3), uti quoque Heliogabalus deum Syriacum, quem inter Romanos retulerat deos, humano ſanguine placare ſtuduit (4).

§. 5.

De Sacrificiis magicis ſeu *ex ſuperſtitione.*

Quum porro ad ſacrificia, quae ad magicas vanitates pertinebant, animum attendimus, quae, uti

(1) In Verrem Act. 2. L 5. c. 30.

(2) Lactant. Inſt. Div. L. I. c. 21. pr.

(3) Vopisc. in Aurel. vit.

(4) Xiphil. in Heliog.

uti fupra vidimus, iam anno U. C. DCLVII Senatusconfulto prohibita funt, ea fequentibus annis faepius fuisfe repetita inde patet, quia postea, anno U. C. DCLXXII, ad *legem Corneliam de Sicariis* relata funt, ita ut primum aquae et ignis interdictio, deinde deportatio iusta in eos poena existimaretur, qui detestabili fuperftitione hominem mactasfent. Tandem vero, quicunque hominem immolaverat, beftiis obiiciebatur, vel, fi honestior esfet, capite puniebatur (1). Non autem dubitandum videtur, quin Pauli Icti aetate illud crimen aeque ad ipfos Romanos atque ad provinciales pertinuerit, praefertim cum plurimi Imperatores magicis artibus fuerint dediti, ad quas mactatorum hominum corpora necesfaria habebantur (2).

§. 6.

De Sacrificiis ex voluptate, five *de gladiatoribus*.

Romanos quoque defunctorum animos placasfe et Diis Manibus humana obtulisfe facrificia, evincunt munera gladiatoria. Olim nullus vir illustris, nulla femina decedebat, quin propinqui, ut eorum Manes placarent, ad mortuorum fepulcra vel hostes bello captos, vel alios fervos immola-

(1) PAUL. Sent. Rec. L. 5. T. 23. §. 16.
(2) HOR. Epod. 5.

laverint (1). Primi vero M. et D. Iunii Bruti, anno U. C. CCCCLXXXVIII, Ap. Claudio M. Fulvio Cosſ., triſtes ritus, qui antea exſequiarum pars erant, publicam populi Romani voluptatem fecerunt, et *humana Sacrificia*, in funebrem patris memoriam peragenda, in *ludos* permutarunt (2): quippe captivos vel ſervos, ad patris ſepulcrum immolandos, coram populo inter ſe digladiari iusſit, quo ludorum genere populus postea tantopere delectatus est, ut, teste Cicerone, (3) *nullum tempus esſet frequentioris populi, quam illud gladiatorium; neque concionis ullius, neque vero ullorum comitiorum.* Num ergo mirum videri potest, huius populi principes, qui ei perverſam gratiam gratificari vellent, florentibus artibus et literis, in hos ludos tam immodice effuſos fuisſe, ut non raro uno die multa millia parium in arenam deſcenderint et ad mortem usque depugnarint? Nec niſi ſerioribus temporibus hi ludi abrogari potuerunt (4): Solis enim Christi inſtitutis tribuendum est, nefarias hasce hominum immolandorum conſuetudines ab uſu recesſisſe et omnino exſtirpatas fuisſe.

§. 7.

(1) Serv. ad Virg. Aen. L. 3. v. 67. L. 10. v. 516.
(2) Valer. Max. L. 2. c. 4. §. 7. Liv. Epit. 16.
(3) Pro P. Sextio c. 59.
(4) Euseb. vit. Const. 4. c. 25.

§. 7.

De origine nomadica facrificiorum humanorum.

An vero haecce fuperftitio, qualis apud Romanos fuerit, e nomadica vita originem duxerit, fi quis quaerat, negandum videtur; illam vero cum pastoralis vitae ratione coniunctam esfe posfe, ipfa nomadicorum populorum historia probat: populos enim Italiae, uti vidimus, iam diu ante U. C. facrificia humana Saturno ac Diti obtulisfe conftat, quamvis maxima parte pastoriam vitam agerent, iisque facris fuperftitio anfam praebuisfe videtur, quae tum ubique, tum maxime apud omnes incultos populos magnam vim in hominum mentes habet, et facillime infaustos errores parit, deos humano fanguine delectari. Hac opinione decepti etiam Palaestinae incolae filios filiasque fuas diis immolarunt, idemque horrendum facinus postea Ifraëlitae, pastoritius populus, vicinarum gentium exemplo corrupti, faepius admiferunt. (1) Si vero ad Romanorum origines, quamvis obfcuras, adfcendamus, Aborigines et plurimos alios antiquae Italiae incolas, a Scythis et Celtis originem du-

(1) David Pfalm. 106. c. 37. Lib. Sapient. C. 14. c. 23.

duxisse, satis certo constare videtur (1). Cum autem permultae Scytharum tribus nomades fuerint, quarum posteri Tartariam Maiorem etiam nunc peragrant, et humana sacrificia diis obtulerint (2), de horum origine apud Romanos non est, quod diu anxie quaeramus, et ea ad vestigia vitae nomadicae Romanorum indicanda recte afferri, quis negat? Iam vero ad *poenas priscas* transeamus, quae ex priore nomadica vita cum primis Romanis in civilem societatem transierunt et diutissime remanserunt.

(1) Cf. J. N. Funccius, de origine Lat. Ling. L. 1. c. 5. §. 7.

(2) Strabo Geogr. L. 1. p. 58. L. 11. p. 753. 778. et al. Ed. Amst. 1707.



CAPUT QUARTUM.

DE PRISCIS POENIS NOMADICIS.

§. 1.

De talione et vindicta sanguinis.

Romanos primis temporibus non solum, sed et postquam diu ad civile vitae genus transierant, suis moribus atque institutis patriis, e vita nomadica ortis, legum loco ut plurimum fuisse usos, quis quidem, nisi qui priscae Romanae reipublicae omnino sit ignarus, dubitare possit? Etenim quum priscas poenas, quas inflixerunt, animo perpendimus, has ex erratica vita cum ipsis stirpibus nomadicis Romam migrasse patet; quae vero deinde a Romanorum legislatoribus constitutae atque sancitae fuerunt, adeo vitam pastoralem sapiunt, ut Romanis nihil nisi pecora fuisse videatur, quorum dispendio delicta mulctarentur.

Quis autem mecum non in memoriam redit iuris *Talionis*, quo an ullum de nomadica vita evidentius testetur, non facile dixerim; hoc vero ius per omne Romanae reipublicae tempus viguisse, posteriores leges evincunt. Primo enim Legg. XII. Tabb. receptum fuit, et quamquam ibi tantummodo dicitur, *qui membrum rupsit, ni cum eo paicit, ta-*

lio esto (1), nihilominus legem, qua ille mos nomadicus, ut similis vindicta laedentem sequatur, publico iure confirmatur, latissimo sensu interpretandam esse, ex *sanguinis vindicta* patet, quam semper in Romana republica non tantum licitam, sed expressis legibus iussam fuisse, a Iustiniano collectae et digestae testantur leges. De hac enim Paulus Ictus hoc modo suam sententiam dixit (2): *Portiones eorum fisco vindicantur, qui mortem libertorum*, SUSPECTO DECEDENTIUM NON DEFENDERUNT. *Omnes enim heredes vel eos, qui loco heredis sunt, officiose agere circa* DEFUNCTI VINDICTAM CONVENIT.

Neque haec unica lex est, qua hanc talionem inter leges receptam et a Iustiniano confirmatam patet; Papinianus enim *heredem, qui* DEFUNCTI VINDICTAM INSUPER HABUIT, *fructus omnes restituere cogendum* existimavit (3). Semper itaque mos ille nomadicus tam iustus Romanis fuit visus, ut, si quis eum neglexisset, gravi poena dignus haberetur.

Etsi autem talio ita hominum naturae est insita, ut, teste Cicerone, (4) *pietas, dolor et magnitudo animi ad expetendas domestici sanguinis poenas excitet*, nullusque barbarus populus exstiterit, quin

(1) Tab. 7.
(2) L. 21. ff. de his, q. ut ind. auf.
(3) L. 17. ff. eod. Tit.
(4) De Harusp. resp. c. 20.

quin hanc fibi legem dictaret ira, tamen fanguinis vindicta in primis Arabum erraticorum propria memoratur, ita ut propinqui non folum homicidam interficere poffint; fed fanguinem vindicare debeant, et inter diverfas ftirpes odium implacabile maneat, donec fanguine placetur (1); quapropter hanc fanguinis vindictam apud Romanos quoque e vita erratica derivandam esfe, quis est, qui dubitet?

§. 2.

De mulctis, e nomadica vita oriundis.

In prisca Romana republica omnis fere poena pecorum iactura fuit irrogata, et quia nihil praeter pecudes habebant Romani (2), qualecunque publi-

(1) Memoire fur les Tribus Arab. fupr. laud. Cf. D. Kimmel, Lett. écrit. dans un voyage de Moscou au Caucafe, Mosc. 1812. Ferguson Efsai — Sect. 2 of rude Nations, prior the establishment of property. Michaël., Mos. regt D. 2. §. 131-136. bl. 384-425. D. 4. § 274-276. bl. 35-55. Niebuhr, befchr. van Arabië, bl. 30-33. De Americanorum fanguinis vindicta et homicidii transactione vid. *Charlevoix*, voyage en Amériq. p. 274 et 309. In primis conferri meretur *D'Arvieux*, Reis n. d. G. Emir, bl. 271. et qui ibi l.

(2) Paul. ap. pomp. fest. in voc. *peculatus.* Plut. in Poplicol. fere med. Cic. fragm. de republ. L. 2.

blicum furtum *peculatus* fuit dictum, ficuti quoque pecore mulctabatur (1). Quemadmodum igitur apud priscos Germanos certo armentorum ac pecorum numero homicidium lui confueverat (2), fic ex Numae Pompilii lege noxius homicidii, non voluntarii, *candidi arietis* damno puniebatur (3). Eodem modo pellex, quae Iunonis aram tetigerat, ex eiusdem regis lege, crinibus demisfis, *agnum feminam* caedere cogebatur (4); et mulier, quae intra decimum menfem iterum nupferat, *vaccam praegnantem* immolare iubebatur (5). De

(1) Sext. Pomp. Fest. in voc. *Peculatus*, *peculor*, *peculio*, *peculiaris*. Vid. infr. P. 2. C. 6. §. 4. — Obfervatu quoque dignum est, adhuc Plinii tempore in tabulis Cenforiis, omnia, ex quibus pop. Romanus reditus haberet, *pascua* dici, quia, diu haec fola fuerant vectigalia. Plin. Hift. Nat. L. 18. c. 3.

(2) Tacit. de Mor. Germ. c. 21.

(3) S. Pomp. Fest. in voc. *fubiici*. Gravina, Orig. Iur. Civ. pag. 223.

(4) S. Pomp. Fest. in voc. *Pellices*. Cf. H. Cannegieter, in egregia disfertat. ad Leg. Numae, Lugd. Bat. 1743.

(5) Plutarch. in Num. fere extr. Iusfit praeterea Numa, qui terminum exarasfit, et ipfum et boves (diis Terminalibus) facros fore, unde ftatuere licet, hoc tempore omnes Romanos adhuc armenta habuisfe. S. Pomp. Fest. in voc. *Termino*. Quomodo vero haec lex postea mutata fuerit, vid. L. 2. §. 3. ff. de Term. mot, et Paul. Recept. Sent. 5. 22. 3.

De quibus vero delictis non legibus cautum erat, mulcta exigebatur ex arbitrio eius, qui mulctam dicebat: Ulpianus enim (1), *poena non irrogatur*, inquit, *nisi quae quaque lege vel aliquo iure specialiter delicto imposita est, cum mulcta dicatur, ubi specialis poena non est imposita.* Uti ergo apud priscos Germanos, ut Tacitus ait (2), *levioribus delictis, pro modo poenarum, equorum pecorumque numero, convicti mulctabantur*, sic, teste Plinio (3), mulctatio apud Romanos non nisi *ovium boumque* impendio dicebatur: Nam quicunque Consulibus dicto audiens non fuerat, mulctam *duarum ovium* et *quinque boum* dare cogebatur (4); qui vero citatus neque respondisset, neque excusatus esset, ei *unius ovis* mulcta dicebatur (5), quae minima mulcta erat; atque hanc non iustam a magistratibus populi Romani dici visam esse, nisi, maiorum more, *oves genere virili* appellarentur, ad A. Gellii tempus in usu fuit (6). Suprema vero sive maxima mulcta apud priscos Romanos *duarum ovium* et *triginta boum* fuit, pro copia boum et penuria ovium (7); sed quum eius-

(1) L. 131. ff. de V. S.

(2) De Mor. Germ. c. 12.

(3 Hist. Nat. L. 18. c. 13. L. 33. c. 3.

(4) PLUTARCH. in Poplicol. fere med.

(5) NON. MARCELL. c. 3. in voc *oves*. VARRO Rer. Hum. L. 23.

(6) A. GELL. Noct. Att. L. XI. c. 1.

(7) Idem l. l.

eiusmodi mulcta pecoris armentique a magistratibus dicta esset, adigebantur boves ovesque, alias pretii parvi, maioris alias, eaque res faciebat inaequalem mulctae punitionem; idcirco vero postea, lege Tarpeia Ateria, anno U. C. ccc, postquam iam aliquamdiu aere signato, (1) pecoris loco, uti coeperat populus Romanus, cautum est, ut in oves singulas *aeris deni*, in boves *centeni* constituerentur. (2) Trecentos itaque annos viguit ille mos nomadicus, quo, pro pastorali vita, quam etiam tunc agebant, delicta pecudibus luerent, et quamquam post legem Tarpeiam Ateriam mulcta pecuniaria facta fuit, tamen veteris instituti nomadici tenaces, ad Traiani et Hadriani Impp. tempus in mulcta dicenda *ovium boumque* vocabulis usi sunt, uti ipse Gellius testatur (3).

His igitur de nomadicae vitae vestigiis in *publicis* Romanorum rebus dictis, ad posteriorem libri partem transeuntes videamus, quaenam leges ac mores originem suam ad priscam nomadicam vitam referentes, in *privatis* eorum rebus superfuerint.

(1) Vid. infr. de *Gentilit. sacris* et *Iure* §. 4.

(2) A. Gell. l. l. S. Pomp. Fest. in voc. *Aestimata*, *Multa*, *Ovibus*, *Peculatus*, ibique Dacier. Brisson. Sel. Antiq L. 1, c. 3.

(3) L. 11. c. 1.

PARS

PARS POSTERIOR.

V E S T I G I A

VITAE NOMADICAE

IN REBUS PRIVATIS

R O M A N O R U M.



CAPUT PRIMUM.

DE IURE CIVILI.

§. 1.

Romanos primo nullum ius civile habuisse.

Romanos in civitatis primordiis omnino nullas civiles leges, fed, uti omnes nomades gentes, mores, a maioribus traditos, habuisfe, quos fequerentur, ipfa quidem res indicare videtur, quandoquidem nomadicae ftirpes et convenarum plebs, transfuga e fuis populis, in civilem transeuntes ftatum, non nifi post longum tempus tantam rerum vicisfitudinem fubire potuerunt, ut fe omnibus, ad civilem vitam tranquille et bene agendam necesfariis

riis, legibus ſubiicerent, et diu quaeque respublica compoſita esſe debuerat, antequam ſingulis iure civili ſatis profſpectum esſet, et ſuum cuique legibus tribueretur; atque hinc quoque Pomponius dixit: (1) *Initio civitatis nostrae populus, ſine lege certa, ſine iure certo primum agere inſtituit*, et, ut Tacitus ait, (2) *Romulus, ut libitum, imperitavit:* Hunc enim regem non niſi paucas tulisſe leges, neque ullas alias, quam quae ex ipſarum gentium inſtitutis ſponte profluerent et ad communem finem obtinendum ſpectarent, id est, ad publicum reipublicae ſtatum pertinerent, ſatis certo conſtare videtur; Numa Pompilius vero, decesſore prudentior atque ſagacior, ut Romanorum animos, belli rapinis adſuetos, religionibus ac divino iure devinciret et ad ſocietatis finem ſenſim conformaret, nomadica ſacra, aliis permultis ritibus, populi ingenio ac moribus convenientibus, aucta, ſolenniter confirmavit, ſatis ſingulorum ſaluti providisſe ſe putans, ſi cetera, quae civitas requireret, ius conſuetudinarium ſuppleret. Accedit, quod populus, ſaepisſime in comitia congregatus, de rebus, quae nondum deſinitae erant, ſtatueret, dum in privatis rebus Romani ſuis avitis moribus utentes, in familiam omne abſolutum imperium exercebant, quatenus publicae rei id non noceret. Si vero inter duos plures-

(1) L. 2. ff. de Or. iur.
(2) Annal. L. 3. c. 2. 6.

resve diverſarum ſtirpium lis oriretur, Patronorum intererat, has inter Clientes controverſias dirimi, ad quos ergo lis delata diiudicabatur; ſin res minus feliciter e moribus componi posſet, vel inter ipſos Patronos lis exoriretur, tum *regis manu gubernabatur* (1) et, quod rex iudicaverat, ius erat omnibus; huic igitur commisſum erat, ut lites gravisſimas, aliter non componendas, dirimeret, uti apud omnes nomades ſtirpium caput omnium litium ſummus habetur iudex (2).

§. 2.

De Patronorum origine nomadica.

Hoc loco de Patronis, eorumque nomadica origine, paucis dicere non alienum videtur, cum ſic facilius intellectu ſit, unde iam primis inde temporibus tanta in Romana republica exſtiterit potentia et vis, quibus in ſummum infimorum detrimentum brevi auctis, Clientes tam cito Patronorum praeda facti ſint. Vetustisſimis temporibus quum nomadicae Italiae ſtirpes cum ſuo dominio oberrarent, ſaepiusque ab aliis, viris ac re fortioribus, ſui pecoris paucitate privarentur, pauperiores, ut ſibi, ſuis pecorique proſpicerent et magis ſecuram vitam agerent, cum ditioribus, in quo-

(1) Pomp. l. l.

(2) d'Arvieux, Reis n. d. g. Emir, bl. 230.

quorum vicinitate pascebant, se coniungere atque ita aliquod pactum inire cogebantur, ex quo ditiores, Patronorum munus suscipientes, pauperiores ab omni iniuria defendebant; hi vero in huius clientelae remunerationem praestituros se aliqua officia erga Patronos pollicebantur. (1) Quocunque igitur hi cum gregibus vel armentis vel ad hostem opprimendum vel ad nova quaerenda pascua proficiscebantur, pauperiores sive Clientes hos comitabantur, unde apud priscos Germanos *Comites* sunt dicti (2), et ubique eorum pecori aeque ac Patronorum adsignata prata occupabant. — Quamdiu itaque cum his, mutuis officiis coniuncti, una pascebant, manebant Clientes, id est, si forte Patroni se ab aliis provocatos, lacessitos, iniuria affectos vel vi aggressos viderent, Clientes, quorum intererat, suos Patronos salvos esse, pro viribus auxilium ferre debebant; quotiescunque vero pauperiores duriore conditione, quam par erat, uti se arbitrabantur, his relictis, aliis vicinis erraticis stirpibus se iungebant, harumque Clientes fiebant (3). Non aliter quam hodie inter Arabes pastores, quos *Bedouinos* vocant, pauperiores, ne latronum rapina stir-

(1) Iul. Caes. hos *Ambactos* clientesque, illos *Principes* vocavit, de Bell. Gall. L. 6. c. 15. Imprimis vero conferri meretur Cap. XI., quod omnino ad hanc § spectat. Cf. Tacit. de Mor. Germ. c. 13. extr. et 15.

(2) Tacit. de Mor. Germ. c. 14 et 15.

(8) Cf. Iul. Caes. de bell. Gall. L. 6. c. 12.

ſiant, certo pacto ſe cum aliis iungere, una paſcere, tribusque ſic efficere ſolent, dum congregatis ſtirpibus ditisſimus vel plerumque maxime grandis natu, quem *Sheikh* dicunt, praeest, cui humiliores in pascuis commutandis obediunt, quem in bello ſequuntur, qui lites, inter ſingulos ortas, dirimit, quem vero, iniuste agentem, relinquunt atque cum aliis ſe coniungunt (1).

§. 3.

De Patronorum poteſtate nomadica.

Quae cum ita ſint, mirum videri non potest, Albanos Patres, Romulo duce, ad novam coloniam quaerendam profectos, Clientes, quos iam antea ſinguli habebant, adeoque ipſum *ius Patronatus* Romam transtulisſe, quod Romulus diminuere non fuit auſus, ſed ita tantum regere et in melius formare potuit, ut ne mutua illius iura atque officia novae civitati nocerent, ſed ad communem ſalutem conducerent. En originem, ut nostra fert opinio, potestatis, iam primo tempore pauperioribus tam durae, ut hi non tantum brevi post, priorem nomadicae vitae libertatem reminiscentes, ſed etiam, aucta Republica, aſſiduo ſe ab ea liberare, iugumque, quo adeo premerentur, excute-

(1) Memoire ſur les Tribus Arabes, ſupra laud. MONTESQUIEU, Esprit des Loix. L. 18. C. 14.

tere non immerito tentarint. Romulus autem hanc quidem potestatem atque haec iura hoc modo constituisse dici potest, quamvis ante U. C. iam adessent, sicuti quoque historici saepe omnia, quae obscura sibique explicatu difficilia sunt, a regia potestate orta derivare solent. Etsi non negandum videtur, cum illud ius inter nomadicas stirpes constitutum inveniret Romulus, hunc iis quoque, qui undique confluxissent, atque adeo sine Patronis Romam venissent, permisisse, ut e Patriciis, quem vellent, Patronum eligerent. (1)

§. 4.

De effectu nomadicae potestatis Patronorum in iure civili constituendo.

Quum autem Romulus et Numa satis singulorum iuri prospexisse sibi viderentur, si curassent, ut Patroni Clientibus instar patrum, Clientes Patronis instar filiorum essent (2); Patribus vero licitum esset omnia iuris civilis officia inter Clientes exsequi, non est, quod miremur, nullum populum unquam tam malas habuisse leges civiles, quam iam primis inde temporibus Romanos; quippe Patricii id semper agebant, ut plebem sibi subiectam tenerent, adeoque horum permagni intererat, ut civiles le-

(1) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 9.
(2) A. Gell. Noct. Att. L. 5. c. 13.

leges malae esſent: etenim ſi bonas conſtituisſent; plebs harum auxilium in rebus litigioſis invocare potuisſet, et ſic a Patriciis libera fuiſſet facta; quod horum auctoritatem et emolumentum magnopere minuisſet; quod vero leges civiles malae esſent, cives asſiduo ordinis patricii indigebant, quippe qui plus ingenio valerent. Quemadmodum igitur apud Romanos, uti apud omnes nomadicas gentes, nuda pacta primo valebant aliosque obligandi vim habebant, quia in vita erratica nomades, artibus ac litteris non incumbentes, maxima parte ſcribere non posſunt, (1) quod et tribus ſaeculis post. U. C. perpauci Romani potuerunt, (2) Patres, quorum in-

(1) D'Arvieux, Reis n. d. g. Emir bl. 75. Cf.; quae ibi narrantur in marg. Tacit. de Mor. Germ. c. 19.

(2) Liv. Hiſt. Rom. L. 6. c. 1. Hinc explicandus videtur mos, quo Romani ſcribere ac numerare ignorantes; quotannis Idibus Septembribus *clavum* in Capitolii parietes fixerint, ne anni Reipublicae Romanae interirent (Liv. Hiſt. Rom. L. 7. c. 3.); qualia ad memoriam alicuius rei propagandam ſigna olim etiam apud Hebraeos in uſu fuisſe conſtat (Moses Lib. 1. c. 21. c. 27. 30.). Sic quoque nomadicae gentes, ſcribendi artis ignarae, contractus cum alia gente non ineunt, niſi quid habeant, quod ſenſibus obiicitur, quo eorum memoria ſit testatior. Primi Romani quoque hanc nomadicam rationem ſecuti ſunt, posterique diutisſime ſervarunt: In foedere quippe aliquo, cum vicina gente ineundo, porcum adhibebant, qui ſaxo ſilice feriebatur et percutiebatur, dum Iovem invocabat ſacerdos; ut

intererat, ut omnes nomadici ufus variis additamentis aggravarentur, ne plebs fe fenfim eorum potestati fubtraheret, cuique pacto ftipulationes adiicere utile arbitrati funt. Servius Tullius deinde, qui populi iniusfu regnum aufpicabatur (1), ad plebis favorem promerendum et inopes fublevandos animum adiecit, fperans fore, ut illorum ope imperium retineret; quapropter Patriciorum potentiam fregit et plebi, quantum potuit, liberam agendi potestatem reddidit (2); fed Tarquinius Superbus, qui neque populi iusfu, neque auctoribus Patribus regnare occepit, contemtis patriciis, contemtaque plebe, quae eum, ut Tullii interfectorem, detestabatur, omnes leges civiles, a Tullio fcriptas, quae ius aequum faciebant utrique ordini, abrogavit (3), atque ita Patricii, qui paulo ante nullam fere in plebem potestatem habebant, iam omne imperium recuperarunt. Tarquinio mox expulfo, Confules, qui ple-

qui dolo malo foedus violasfet, fic feriretur, ut ille porcum feriebat. (Liv. Hift. Rom. L. 1. c. 24. Cf. Mos. L. 1. c. 15. c. 9. et 10.) Ex eodem nomadico more Fetiales in bello indicendo ad fines populi, quem hostem declaraverant, profecti, hastam et caduceum, duo figna belli et pacis, immittebant, ex quibus eligere poterant, hostes an amici esfe vellent. (A. Gell. Noct. Att. L. 10. c. 27. Amm. Marc. L. 19. hift.)

(1) Liv. Hift. Rom. L. 1. c. 46.

(2) Dion. Hal. A. R. L. 4. c. 10. fqq.

(3) Idem L. 4. c. 41.

plebi quocunque modo adulari volebant, civiles leges de contractibus a Tullio latas, humanas admodum et populares, quas omnes Tarquinius fustulerat, reſtituerunt et in uſum revocarunt. (1) Neque ita multo post Tribuni creati plebi adverſus Patres auxilio fuerunt horumque licentiam circumſcribere coepere, omneque ius fere Tribunitiis agitationibus fluitare incepit, cum leges regiae exolevisſent omnes, *iterumque coepit Populus Romanus incerto magis iure et conſuetudine ali quam per latam legem.* (2)

§. 5.

De iure XII Tabb. et ſtipulationibus.

Leges deinde XII. Tabb. cuique, tam plebeio quam patri, aequum ius tribuebant plenamque facultatem quocunque modo contractus ineundi, atque ita quisque ad eos implendos obligabatur, adeoque plebi occaſio erat ſe Patribus ſubtrahendi, a quibus, directionis ſpecie, admodum premebatur. Tum vero horum calliditate et artibus ſtipulationes inventae et contractibus adiectae ſunt, quibus plebs patriciorum auxilium vel in minimis rebus invocare cogebatur, ne in ſtipulationes peccaret. (3) Has au-

(1) Dion. Hal. A. R. L. 5. c. 2. Cf. Liv. Hiſt. Rom. L. 2.

(2) Pomp. L. 2. §. 3. ff de Orig. Iur.

(3) Vinn. et Hein. ad Inſt. L. 3. Tit. 16. §. 20.

autem stipulationes non prudentiae legislatoriae, neque veri iuris, sive potius voluntatis, ius efficientis, ignorantiae adscribendas esse, uti nonnulli putant, sed potius ideo repertas fuisse et huic fini inserviisse, ut sibi plebem quodammodo subiectam tenerent Patricii, inde patet, quod eiusmodi stipulatio stricta in civium Romanorum contractibus requirebatur, ut valerent atque obligandi vim haberent, licet e contrario peregrini, qui Romae habitabant, aut rerum suarum caussa eo venerant, illis formulis uti haud cogerentur. (1)

His ergo aliisque rerum mutationibus, quae temporis progressu in Romana republica locum habuere, aliter fieri non potuit, quin complures nomadici usus sensim omnino in desuetudinem abierint, de quibus adeo nihil amplius liquet; plurimas vero consuetudines, a Romanis legislatoribus in leges receptas, ad ultima Romani imperii tempora viguisse, uti de multis vidimus, sic quoque de imperio, quod *cives in suam familiam habuerunt*, nunc dicendi erit locus.

(1) Paul. Sent. Rec. L. 2. T. 4. §. 2.

CAPUT SECUNDUM.

DE IURE DOMESTICO.

§. 1.

De nomadica origine iuris domestici.

Quemadmodum inter gentes nomadicas, quae patriarchalem vitae rationem fequuntur, ftirpis caput in loco, quo cum familia et fuo pecore oberrat, neminem fibi fuperiorem agnofcit, omnia vero iura, ad fuam familiam fpectantia, pro arbitrio exfequitur (1) et cuique, vi fui iuris, quod a maioribus accepit, leges dat, iniurias illatas vindicat, in crimina a fingulis perpetrata, tanquam iudex privatus, poenas ftatuit et exercet, facra, quae ex maiorum inftitutis ad familiam pertinent, tanquam facerdos fuae gentis curat ac peragit; non aliter omnia illa iura pater Romanus, postquam e nomadica vita in civilem focietatem transierat, habuisfe, et eius posteri diutisfime, vel in Reipublicae detrimentum, retinuisfe traduntur. Domi enim fuae familiae princeps cuique, qui vel

(1) Iselin, Gefch. der Menschh. 1 D. bl. 203 enz.

vel natura vel iure fuae potestati erat fubiectus, pro arbitrio imperabat, ita ut, quae fibi placerent, pro legibus esfent, domi in uxorem, liberos, nepotes atque fervos indefinitum exercebat imperium, unde patrem familias Ulpianus (1) dixit, *qui in domo dominium habet;* facra quoque et caeremonias, quae, a maioribus accepta, fuae familiae propria erant, diligenter ipfe obibat, et, ne perirent, variis modis curabat: quin immo, ficuti a nomadicarum ftirpium patriarchis vel capitales poenas privatim inflictas veterum et recentiorum nomadum testatur hiftoria, (2) non aliter a Romanis patribus in omnes, qui iis, tanquam ftirpium capitibus, fubiecti erant, domi ob crimina fummum faepisfime exercitum est fupplicium; nec mirum ergo, fi haec potestas, olim nullis iuris civilis legibus circumfcripta, ab ipfis Romanis *maieftas patria* (3), et ipfi patres *iudices* (4) atque *magiftratus domestici* (5) *fuerint dicti.*

§. 2.

(1) De Verb. Sign. L. 195. ff. §. 2.

(2) Arist. de Mor. L. 8. c. 12. et L. 10. c. 19. Charlevoix, Hiftoire d'un Voyage en Amériq. p. 274. Mof. Deut. 21. 18. 19.

(3) Liv. Hift. Rom. L. 34. c. 2. Cf. Iust. H. R. L. 10. c. 2.

(4) Senec. Controv. 11. p. m. 185.

(5) Senec. L. 3. de benef. c. 11.

§. 2.

De iuris domestici effectibus.

Quanti autem hoc nomadicum domesticum imperium omni tempore fecerint Romani, testis est Cicero: (1) *Quid est*, inquit, *sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscuiusque civium? Hic arae sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacra, hic religiones, caeremoniae continentur. Hoc perfugium ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* Quapropter quoque domum *tutissimum cuique refugium* et *receptaculum* dixerunt, ita quidem, ut, qui olim inde in ius vocaret, vim inferre videretur, (2) in tantum, ut si quis hac aliave de caussa domum suam vi introitam esse dicere posset, is, qui id commiserat, in crimen, *Lege Cornelia de iniuriis* vindicandum, incideret: (3) quod quidem posteriore tempore eatenus tantum mutatum est, ut, quamvis is, qui domi esset, interdum in ius vocari posset, tamen de domo sua

(1) Orat. pro dom. ad Pontif. c. 41.

(2) Gaius L. 18. ff. de in Ius voc.

(3) Iustin. §. 8. Inſtit. de Iniur. Quam latisſime autem illud ius sit sumendum, patet ex additis Iustiniani verbis: *Domum accipimus. sive in propria domo quis habitet, sive in conducta, sive gratis, sive hospitio receptus sit.* Cf. Paulus L. 23. ff. de Iniur.

sua extrahi haud posset. (1) Hanc autem a Reipublicae primordiis retentam domesticam libertatem, quae tam aperte prioris nomadicae vitae vestigia indicat, ad ultimum imperii tempus ipsae Romanae leges confirmarunt. Quod ut clarius patescat, primum iam videamus de potestate, quam in *liberos* habuit *pater*; deinde, quaenam fuerit *mariti* potestas in *uxorem*; tum de iure in *servos*; denique de *gentis sacris*, sive *iure gentilitio*.

(4) PAUL. L. 21. ff. de in Ius voc. L. 103. ff. de R. I.

C 4.

CAPUT TERTIUM.

DE PATRUM POTESTATE IN LIBEROS.

§. I.

De origine patriae potestatis in liberos.

Nomades, dulcisfimum mutui amoris vinculum ignorantes, quo patres in liberos, liberique in parentes, mariti in uxores, uxoresque in maritos continentur, omnia commodo, quod ex quaque re capere posfunt, metiri folent; atque adeo, nifi illud obftat, pro faevo et duro arbitrio cum omnibus illis agunt, qui fibi fubiecti funt; qui vero fibi, moribus fi excultl esfent, tam cara amoris pignora haberentur; quid mirum ergo, fi et inter Romanos familiarum principes, divina atque humana iura interdum violantes, in liberos, uxores, totamque familiam ita faevierint, ut posteriores legislatores fenfim hoc nomadicum imperium in familiam legibus reftringere ftuduerint, quod quidem Romulus circumfcribere non fuerat aufus, non immerito verens, ne, fi domesticam ftirpium libertatem quodammodo diminuere tentasfet, harum capita fibi refifterent, nec tam facile publicae libertati va-

valedicerent, et ita brevi ipſa Respublica, quam conſtituerat, dilaberetur.

§. 2.

De finibus iuris patriae potestatis apud Romanos.

Pater itaque Romanus nullis, niſi quas ſibi ipſe pro ſaevioris mitiorisve animi propenſione praeſcripſerat, legibus obſtrictus, liberos ſuo iure tanquam ſervos aliasve res tractare poterat, et quibus vitam dederat, hos ſibi omnia debere et nomadum more omnino ad ſe pertinere putabat, cum e contrario liberis nullum ius in patrem competeret: (1) infantem enim aut tollere, aut, ſi vellet, exponere libere poterat: quod quam frequenter quamque terribiliter fuerit factum, et quamdiu viguerit inter Romanos hic barbarus mos, locuples testis est Seneca (2), dum debiles et monſtroſos liberos, ſi editi esſent, mergebant (3); infantem autem, incertum, mas an femina esſet, alto demergendum dixerunt aruſpices. (4)

Ut vero de non limitata Romani patris potestate rectius iudicemus, audiamus Romanorum Hiſtoricum,

(1) Sext. Empiric. Pyrrhon. Hypoth. L. 3. c. 24. Ed. Fabric. p. 180.

(2) Controv. 5. 33.

(3) Senec. de Ira L. 1. c. 15.

(4) Liv. Hiſt. Rom. L. 27. c. 37.

cum, Dionysium Halicarnasseum (1), qui, pro opinione sui temporis, Romulum huius nomadici iuris in liberos auctorem et conditorem fuisse, dicit et hoc modo Quiritium in prolem imperium describit: *Romanorum legislator omnem potestatem patri in filium concessit, idque toto vitae tempore, sive eum in carcerem detrudere, sive flagris caedere, sive vinctum ablegare ad rustica opera, sive occidere vellet; etiamsi filius iam rempublicam administraret et inter summos magistratus censeretur et studii erga Rempublicam laudem sit promeritus. Ex hac lege viri illustres, concionantes in senatus invidiam fruentesque aura populari, detracti e suggesto, abducti sunt a* PATRIBUS, POENAS DATURI EX IPSORUM SENTENTIA. *Quos, quum per medium forum abducerentur, nullus eorum, qui aderant, poterat eripere, non Consul, non Tribunus Plebis, non ipsa turba, cui illi blandiebantur, utpote quae omnem potestatem sua minorem putaret.* (2)

Etenim leges XII Tabb. hunc barbarum morem non solum non restrinxerant, sed potius confirmarant; uti Tabulae IV. verba: *Endo liberis iustis vi-*

(1) A. R. L. 2. c. 27.

(2) Si vero ad priscum reipublicae statum et primos Romanos, Romuli socios, animum attendamus, satis superque patet, hanc potestatem patrum in liberos non a legislatore fuisse datam; Romanos autem, in civitatem transeuntes, e priore nomadica vita hanc retinuisse, utpote quam diminui non patiebantur. Vid. supra.

vitae, necis, venundandique potestas ei (patrifamilias) *esto:* (1) non obſcure demonſtrant. Nec poſteriore tempore exempla deſunt, quibus hanc legem adhuc viguisſe lucide conſtat: T. Manlius Torquatus enim, quum Macedones de eius filio, D. Silano, (2) qui Macedoniam provinciam obtinuerat, querelas ad Senatum detulisſent, ab hoc petiit, ne quid ante de ea re ſtatuerent, quam ipſe filii cauſſam inſpexisſet, atque hunc eo perculit, ut ſuſpendio ſe proxima nocte conſumſerit; (3) nec aliter Ciceronis tempore Fulvius ordinis Senatorii vir, filium, ad Catilinae castra abeuntem, ex itinere retractum, mortis ſupplicio affecit (4). Multos alios ſilentio praetereo, quos patres, tanquam iudices domestici, aut in exſilium miſerunt, aut capitis damnatos interfecerunt, quippe quos omnes enarrare longum foret (5). Explicari autem alio mo-

(1) Cf. Cic. pro Dom. ad Pontif. c. 29. A. Gell. N. A. L. 5. c. 19. Simplic. ad Epictet. c. 37. p. mea 199.

(6) Unde Manlii filio D. Silani nomen fuerit, docet Cicero de Finib. Bon. et Mal. L. 1. c. 7.

(3) Val. Max. L. 5. c. 8. §. 3. Cf. Cicero l. l. Livii Epit. 54.

(4) Sall. Bell. Cat. c. 39. Val. Max. L. 5. c. 8. §. 2. Dion. Cass. L. 37. p. 46.

(5) Cf. Liv. Hiſt. Rom. L. 2. C. 41. Val. Max. L. 5. c. 8. §. 2. L. 6. c. 1. §. 3 et 6. Seneca de Clem. L. 1. c. 15. Quinct. Declam. L. 3. c. 17. Plut. Pa-

modo ille barbarus agendi modus cum liberis haud potest, nisi ex nomadica libertate, quam cum Romani, uti omnes nomadicae gentes (1), ante U. C. haberent, neque reges neque posteriores legislatores, neque ipsi Imperatores omnino reprimere potuere. In suis enim domibus nunquam aliud quam privatum passi sunt imperium, neque illud, quamvis, crescente in Republica luxuria, cuiusvis generis vitiis periculosissimum, unquam legibus aboleri potuit (2), nisi quum, Romanorum libertate plane oppressa, tandem Constantinus Magnus, severa lege, hanc ab Urbis primordiis per tot saecula inveteratam potestatem plane tollere fuerit ausus (3).

§. 3

De liberorum venditione.

E nomadica vita, quam ante U. C. egerunt Romani, porro derivanda quoque est *liberorum venditio*, quae omni tempore apud Romanos in usu fuit. Quemadmodum enim barbarus, ut sibi necessaria ad

Parallel. Tom. 2. p. 308 et 311. OROS. Hist. L. 4. c. 13. extrem., et PAUL. L. 11. ff. de liber. et post.

(1) CAES. de Bell. Gall. L. 6. c. 19.

(2) L. 11. ff. de lib. et post. L. 3 et 10. C. de Patr. Pot. L. 5. ff. ad Leg. Pomp., de parric.

(3) L. Unic. C. de his, qui parent.. vel lib. occiderunt.

ad vitam paret, vel alia adquirat, quae ſibi iucunda videntur, liberos cum aliis cuiuscunque generis mercibus permutare ſolet, (1) ſic quoque Romanorum pauperes e liberorum venditione victum ſibi quaeſivisſe conſtat; quam quidem liberos venundandi potestatem a Romulo patribus Romanis concesſam esſe falſo perſuadere conatur Dionyſius Halicarnasſeus, (2) dum potius hic rex patribus concesſisſe videtur, ut terna liberorum venditione maiorem pecuniam quaerere liceret. (3) Numa Pompilius vero iam illam plane nomadicam conſuetudinem eatenus reſtringere ſtuduit, ut venditio prohiberetur, ſi pater filio permiſisſet ducere uxorem, quacum ſacra et bona iuxta leges communicaret. (4) Quod autem ad ternam venditionem attinet, qua firmius patris quam domini vinculum ostendi ICti putarunt, Romulus, nostra de ſententia, hanc inſtituisſe videtur, ut patres, ex iure nomadico liberam ſubolis venundandae potestatem habentes, quam diminuere non poterat, non tam facile emtores invenirent, ſi liberi, detecto libertatis iure, in patris potestatem reciderent, atque hoc modo prohibuisſe, quominus Respublica civibus privaretur, quorum augmentum tam necesſarium erat, cum ſpecie patriae ſeu nomadicae il-

(1) Cf. Iselin, Geſch. der Menschh. 3 D. 4 Hoofd. bl. 206.

(2) L. 2. c. 27.

(3) Dion. Hal. l. l.

(4) Idem.

illius potestatis in prolem augendae venditionem revera difficiliorem redderet. Quidquid est, patrium ius liberos venundandi Decemviri legibus XII Tabb. (1) non ausi sunt tollere, attamen Numae Pompilii restrictionem confirmarunt (2), et quamvis temporis progressu pro cultioribus moribus illa potestas non eiusmodi fuisse videatur, ut sibi inde pecuniam acquirerent Romani, tamen nulla lege iis fuit ademta, sicuti terna venditio in emancipatione comprobat. Diocletianus vero et Maximianus tandem ipsum liberos vendendi ius pro moribus, luxuria et quovis vitiorum genere deperditis, coarctare reipublicae utile arbitrati sunt, ita ut horum lege liberi, a parentibus neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris iure aut alio quolibet modo, neque sub praetextu ignorantiae accipientium in alios transferri possent (3). Constantinus Magnus e contrario filii vel filiae, sanguinolentorum, sive recens natorum, venditionem patribus denuo permisit, si nimia paupertate premerentur, et, ut emtor eius servitii obtinendi facultatem haberet, concessit; sed ita, ut pater, vel ipse, oblato deinde pretio, quantum venditus valere posset, vel praestito in eius locum mancipio, libertatem denuo acciperet. (4) Ad ul-

(1) Ulpian. Fragm. Tit. 10. §. 1.
(2) Dion. Hal. l. I.
(3) L. 1. Cod. de Patr., qui fil. distrax.
(4) L. 2. C. eod. Tit.

tima itaque Romani imperii tempora iuris illius nomadici vestigia superfuisse ex horum Imperatorum legibus satis est perspicuum. (1)

§. 4.

De variis effectibus patriae potestatis.

Ex eadem porro patriarchali sive nomadica consuetudine filii familias, vivis patribus, sive sua industria, sive casu, sive aliorum liberalitate olim nihil proprii habuere, (2) nihilque sibi, omnia vero patri, stirpis capiti, acquisivere, quandoquidem, nomadum more, sicuti de eorum vita atque corpore, ita etiam de bonis, quocumque modo acceptis, libere statuere poterat pater. (3) Quanquam autem postea pro moribus, magis civili vitae genere excultis, *peculia* in liberorum favorem fuerunt introducta, nihilominus omnia, sicuti in nomadica vita, post horum mortem necessario ad patrem redibant, quae quidem bona hic, non tanquam filii heres, occupabat, sed iure patriae potestatis acquirebat; (4) quod non limitatum ius succedendi in liberorum bona cuiuscunque generis vel A-

(1) Cf. L. 10. C. de patr. pot.

(2) Dion. Hal. A. R. L. 8. c. 79. extr.

(3) Sext. Emp. Pyrrhon. Hypoth. L. 3. c. 24. p. 180. Edit. Fabr.

(4) Tryphoninus L. 19. §. 3. ff. de Castr. pec.

Alexandri Imperatoris tempore viguisse constat. (1) Quae autem hoc loco de liberis dicta sunt, eadem quoque de nepotibus aliisque posteris intelligenda esse quis nescit, qui nomadicae vitae haud plane ignarus est: quippe omnes, qui nomadicae stirpis capiti subiecti sunt, eius iuri sive arbitrio parere coguntur, a quo non liberantur, quamdiu illud vivit. (2) Nec minus vestigia prioris vitae nomadicae adsunt in lege XII Tabb.: nam Paterfamilias, *uti legassit super pecuniae tutelaeve suae, ita ius esto.* Hinc liberi, patris silentio exheredati, olim nullo alio modo prohibere poterant, quominus haec extrema patris mortui voluntas valeret, et efficere, ut huius bona sibi adiudicarentur, nisi patrem facti testamenti tempore mente captum demonstrassent; (3) quod quum postea cultioribus moribus improbaretur, legislatores eatenus hanc restinxerunt consuetudinem, ut liberos in testamentis non silentio praeterire neque sine iusta caussa exheredare liceret, si patres suam extremam voluntatem valere vellent. (4)

§. 5.

(1) Jul. C. 3. Cod. de bon. Proscr.

(2) Michaël. Mos. regt, D. 1. bl. 103.

(3) Iustin. Inst. L. 2. T. 18. Hein. Ant. Rom. l. l. ad Inst. Dion. Hal. A. R. l. l.

(4) Iustin. Nov. 115. L. 4. C. de Lib. praet. vel exhered.

§. 5.

De origine patris consensus, in liberorum nuptiis necessarii.

Quum patriarcha, quamdiu vivit, stirpis suae nomadicae caput esse haud desinat, nec quisquam ex illis, qui ad familiam pertinent, illius potestatem detrectare possit, hinc explicandus est Romanorum mos, quo in liberorum nuptiis consensus patris tam necessarius habebatur, ut nuptiae, sine consensu a filiis initae, essent nullae, nec quidquam effectuum civilium haberent. (1) Hoc enim non tribuendum videtur, ne patri invito heres agnascatur (2) uti postea, huius iuris nomadici originem ignorantes, caussam interposuere ICti Romani, sed potius quod pater omne ius ac imperium in filium habebat, qui ergo uxorem, quam ipse vellet, eligere non poterat; sed quae, uti inter nomadicas gentes, a patribus dari debebat, quia alioquin imperium in eius domo admitteretur, quod sibi, tanquam suae familiae per totam vitam imperanti, soli competebat, unde quoque non nisi amissa iam publica libertate illud beneficium acquisiverunt filii, ut uxores ipsis obtrudi non possent; si vero patres filios nuptias inire iniuria prohiberent,

(1) Paul. L. 2. ff. de Rit. N.
(2) Iustin. Inst. de Nupt. princ.

rent, Augusto placuit hanc arbitrariam illorum potestatem lege Iulia et Papia Poppaea eatenus coarctare, ut patres sui disfensus rationes reddere tenerentur, et consentire ad nuptias a magistratibus cogi posfent. (1) Filiarum vero conditio, uti hae apud omnes gentes nomadicas liberis masculis multo viliores habentur, (2) vel eo deterior erat, quia pater his, etiam emancipatis, virum obtrudere, sive, uti in iure dicitur, conditionem quaerere poterat; (3) adeo quidem, ut ei in re tanti momenti, unde totius vitae vel summa felicitas, vel maxima miseria originem ducat, a patris voluntate ne disfentire quidem licuerit; progresfu tamen temporis Ulpianus nos docet, hoc durum imperium in filias restringere studuisse legislatores in eo casu, si pater sponsum moribus indignum vel turpem ei elegisset. (4) Tandem vero quum patres, luxurie deperditi et quovis vitiorum genere corrupti, negligentius hac in re versarentur (5), hoc patris arbitrium legibus coërcitum fuit, ut filia oblatam conditionem honeste detrectare posset. (6)

Ex eadem patriarchali potestate pater impuberibus tutorem dare (7), quin immo ei heredem scri-

(1) Marcian. L. 19. ff. de Rit. N.
(2) Vid. infr. Cap. prox.
(3) L. 18. C. de Nupt.
(4) Ulp. L. 12. §. 1. ff. de Spons.
(5) Marc. L. 19 ff. de Rit. N.
(6) Iustin. Nov. 115. C. 3. §. 11.
(7) Modest. L. 4. ff. §. 4. de test. tut.

fcribere poterat, fi filius infra pubertatem moreretur; (1) dum enim pater in vivis esfet, filius, ne confentiente quidem patre, testamentum validum facere poterat, (2) nec mirum, quia olim hic pro nomadica patris potestate nihil habebat, quod non ad illum, tanquam ftirpis caput, pertineret.

§. 6.

De emancipationis Romanae effectibus, nomadicae vitae congruis.

Quanquam igitur, uti apud plurimas nomadicas gentes, nulla aetas a patriarchali illa potestate liberabat, quamdiu pater fuperftes erat, (3) fed et tota gens una habitare folebat, uti lucido Aeliorum exemplum ostendit, quorum fedecim familiae, teste Valerio Maximo, (4) uno tempore unam domunculam Romae inhabitabant, exftiterunt tamen cafus, tam apud nomadicas gentes, quam Romanos, quibus filii familias, vivis patribus, patres familias facti fint et feparatam vitae rationem egerint; etenim etfi emancipationis forma plane e iure civili originem deducat, nihilominus eius effectus, quibus filii e patrum potestate demittebantur, e nomadi-

(1) Iustin. Inftit. L. 2. T. 16. §. 4.
(2) Idem Inftit. L. 2. T. 12. pr.
(3) De Israëlitis vid. Michaëlis T. 1. p. 103.
(4) L. 4. c. 4. §. 8.

dicis moribus derivandi videntur: In vita enim erratica saepe ipse nomas liberos, postquam ad virilem aetatem pervenerunt, patria sua potestate liberat, ut novarum familiarum auctores, novarum stirpium capita fiant, quod quidem eo magis erraticis gentibus est necessarium, quia hae ad pecora pascenda saepius nova prata quaerere coguntur; quod ut facilius procedat, liberi patrum iussu in alias sedes se cum ea gregis parte conferunt, quae illis tanquam paterna hereditas conceditur, et reliquam hereditatem aliis relinquunt. (1) Huc quoque referenda est species, quam de veteribus bellicosis Germanis Tacitus memoriae prodidit, (2) liberos a patribus in concilio, scuto frameaque ornatos, patria potestate exire et ita fieri cives et partes reipublicae, cum antea domus pars essent.

§. 7.

De acquirenda patria potestate.

Mortuo deinde totius familiae capite, singuli liberi masculi, quotquot sunt, qui proximi in eius potestate fuere, (3) tum fiunt sui iuris et, uti apud reliquos nomades, novas constituunt fami-

li-

(1) Blakstone Comm. sur les Loix Angl. Tom. 2. p. 334. Cf. Montesq. Esprit des Loix L. 18. c. 21.

(2) De Mor. Germ. cap. 13.

(3) Ulpian. L. 5. ff. de His, qui sunt sui iur.

lias, in quas pro ſua quisque maiestate atque iure omne illud exercet imperium, quod ipſe patriarcha, dum vivebat, in ſtirpem habuit, et ipſi tum quoque patrum familiarum nomen accipiunt, licet aetate minores ſint, cum illud ſit honoris nomen, eiusque effectus non ad aetatem, ſed ad id tempus referantur, quo quis ſuae familiae caput ſit; unde pupillus etiam paterfamilias vocatus fuit. (1) Nepotes vero, qui, quamdiu avus ſive familiae caput vivebat, huius imperio parebant, avo mortuo, in patris potestatem, propriam iam conſtituentis familiam, recidunt; ſi vero pater ante avi mortem iam emancipatus esſet, adeoque propriam familiam haberet, omnes nepotes ex eodem nomadici iuris tenore, avo mortuo, patres familias fiebant, quoniam patris potestas antea iam erat ſoluta, cum in avi potestate proximi fuisſent.

Ex his itaque, quae de patria potestate apud Romanos diximus, prioris nomadicae vitae veſtigia usque ad ultima imperii Romani tempora haud obſcure patent, quamvis illa potestas, antea non limitata, postea multis civilibus legibus, pro civium moribus et Reipublicae conditione, ſenſim coërcita fuerit.

Iam transeamus ad alteram iuris domestici partem et videamus, quomodo mariti ſingulis temporibus uxores tractaverint, ut hinc quoque haud dubia erraticae vitae ſigna indicemus.

(1) Ulpian. L. 195. ff. §. 2. de Verb. Sign.

C A-

CAPUT QUARTUM.

DE MARITORUM POTESTATE IN UXORES.

§. 1.

De humanitatis gentium gradu ex uxorum conditione conspicuae.

Sequiorem sexum negligere et contemnere unum ex certis barbariei gentium indiciis esse, ubicunque haec inveniatur, recte observarunt Robertsonius aliique. (1) Hoc enim effatum tam verum est, ut, quum oculos in diversas feras gentes vertimus, non immerito pro modo aerumnarum, quibus feminae premuntur, culturae gradum cuiusque populi tuto statuere liceat. Quippe aliter fieri nequit, quin homo, quo cultioribus est moribus, eo humanius ac benignius omnes tractet, quibuscum versatur, et qui, sibi subiecti, suo imperio parent. Quid mirum ergo cuiquam videri potest, si status feminarum, quae tantum in virorum animos valent, quas-

(1) Histoire de l'Amérique, T. 1. p. 136. KANTELAAR, over den invloed der verlichting op het lot der vrouwen.

quasque tam variis ac insignibus hunc in finem Deus benignissime donavit dotibus, quibus pellicimur, tenemur, vincimur ad iis indulgendum, quin immo morem gerendum, verae humanitatis modum semper apud quamcunque gentem constituat, ita ut, quo cultior haec, eo honestior ac liberalior feminarum conditio sit. Quam felix autem ex mutua illa indulgentia, quae ex iam excultis moribus originem deducens vel cultioribus ansam praebet, vinculum oriatur, non facile dixerim.

§. 2.

De uxorum conditione apud nomadicas gentes.

Barbarus vero, qui nullo uxoris amore tenetur, nisi ut urguentis naturae necessitatibus satisfaciat, vel se sui laboris parte liberet, in sua stirpe neminem sibi similem agnoscit; sed, utpote suo iure fortior, omnem etiam in uxorem sibi arrogat potestatem, durumque pro saevo animo in eam exercet imperium, quapropter eam, pro barbaris suis moribus contemnens, vel pecudis vel servae in modum tractat, et si forte minus eius voluntati pareat, verberare, immo, quum immoderatis animi affectibus abripitur, interficere solet, quia eius arbitrium pro iure, eiusque voluntas pro lege valet, aut, quum emolumentum inde capere potest, eam aliis

aliis ad aliquod tempus concedit, aut venundat. (1)

Simulac vero, depofita illa priore crudelitate et immanitate in feminam, ad cultius vitae genus adfcendit cultioresque mores induit, tum demum fuae vitae felicitatem ab ea augeri fentiens, facile arctiore amoris vinculo teneri fe patitur, fibique tunc dulcem vitae fociam animo fingens, eiusmodi uxorem adquirere ftudet, quam iis animi dotibus praeditam videt, quibus illa fibi femper placeat, et quacum ipfe dulcisfimos tenerrimi mutui amoris fructus per omnem vitam partiri poteſt, et fic fibi felicitatem parat, cuius antea pro incultioribus moribus plane erat nefcius.

§ 3.

De dura uxorum conditione apud Romanos.

Quum iam, his bene animo perpenfis, oculos in Romanos vertimus, illos, non tantum primis Reipublicae temporibus, barbarorum cum uxoribus agendi rationem nondum depofuisfe, fed etiam diutisfime nomadico more eas tractasfe haud facile quisquam neget; five enim uxorem, quae *confarreatione*, aut *coëmtione* in mariti manum convenisfet, five *ufu*

(1) Iselin, Gefchied. der Menschh. b. 3. Hoofd. 4. et qui hoc loco laud. Vid. infra C. 4. §. 5.

usu capta esset, consideremus, (1) semper in hac triplici uxorum ducendarum ratione, Romanos nomadi-

(1) Omnes hi nuptiarum ineundarum modi vitam nomadicam quidem quodammodo sapiunt; ex his vero, qui *usu* fiebat, omnium vetustissimus et plane nomadicus videtur, quippe ad quem nullae solennitates requirebantur, quodque matrimonium, uti plerumque inter barbaras gentes locum habet, solo consensu mutuaque voluntate contrahebatur. Etenim illud discrimen, quo uxores, quae, toto anno vertente, trinoctii absentia interposita, cum viro adsuevissent, non usu captae neque in manu et mancipio viri essent, sine dubio posterioris fuit temporis, quamvis de hoc nihil certi constet. *Confarreatio*, quam ab urbis primordiis iam institutam legimus, (*) propter farris usum iam rusticationem quamdam indicat; *Coëmtio* vero, qua maritus et uxor se invicem emebant, quamvis temporis progressu imaginariis tantum perageretur venditionibus, antiquissimo tempore iam in usu fuisse videtur; non vero eodem, quo postea celebrata est, modo: *Coëmere* enim proprie non significat *invicem pecunia emere;* sed *invicem tollere*, *auferre.* Quippe, teste Pomponio Festo, (†) EMERE, *quod nunc est mercari, antiqui accipiebant pro* SUMERE, uti hoc quoque non obscure patet e compositis *sumere*, *demere*, *perimere*, id est, *penitus tollere* (§), quia *per* significationem auget; adeoque *coëmtio* olim simplicissimum nuptias ineundi modum et vitae nomadicae plane congruum referebat; cum vero, postquam numi in usu fuerunt, *emere pecunia* in permutandi locum successisset

(*) DION. HAL. A. R. L. 2. c. 25.
(†) De Verb. Sign. in voc. *emere.*
(§) Cf. CICERO Tuscul. Quaest. L. 1. c. 37.

dicas imitatos fuisse consuetudines, haud obscure constat, quandoquidem uxor semper ad mariti domum pertineret, in eius potestatem veniret, et ab eius arbitrio penderet, ac si filia familias fuisset. (1)

Quemadmodum nomadicarum stirpium capita ius vitae et necis in uxores exercent (2), ita etiam Romanis maritis in eas summum ius fuit. Ne vero hoc vitae necisque imperio abuterentur et, pro barbaris moribus, nimis in uxores saevirent, Romulus, si Dionysio Halicarnasseo credamus, iam hanc nomadicam libertatem quodammodo restringere studuit, ita ut *laesus maritus quidem in uxoris crimina inquireret, eique reae mortis poenam infligeret, sed adhibitis in consilium propinquis; de ce-*

set (*), et propria huius verbi significatio esset mutata, ut strictiore sensu sumeretur, quid mirum, si Romani hanc significationis mutationem etiam ad omnia transtulerint, quae ante *emendo*, id est, *sumendo* perficiebantur, et inde imaginariam venditionem in nuptiis contrahendis in usum venisse statuamus.

(1) Romanos, et in civitatem congregatos, et antea errabundos, una uxore contentos vixisse, consuetudini, seu moribus tribuendum videtur, nec tam plane a vita nomadica alienum est, quin et olim et hodie exempla nomadicarum gentium hunc usum confirment. Tac. de Mor. Germ c. 18. D'Arvieux, Reis n. d. g. Emir bl. 334.

(2) Iul. Caes. de Bell. Gall. L. 6. c. 19.

(*) Paul. L. 1. ff. de Contr. emt.

ceteris vero poenae magnitudinis arbiter esſet maritus. (1)

Si vero Romulus hoc domesticum iudicium in uxores re vera coërcuit, ut neque ſaevitia neque vi cum his ſui cives agerent, uti non obſcure ex Livio (2) patet, non ſine ſumma politica ratione in publicam civitatis ſalutem id conſtituisſe videtur. Pater enim naturali amore, quo in liberos ducitur, ipſam naturam vincat, amorem illum, penitus inſitum, ex animo eiiciat, denique patrem esſe ſeſe obliviscatur oportet, ſi incenſus animum inducere posſit, ut in filii vitia atque peccata ſeverius animadvertat ſummumque illud ius vitae et necis exerceat; vinculum vero, quod inter maritum et uxorem intercedit, non illo naturali nititur amore, ſed, niſi maioris felicitatis ſenſus atque adeo politior humanitas uxoris dotes animi corporis facultatibus et caducae eius pulchritudini anteponere illum docuerit, perquam incertum ac fragile est; cum autem de priscis Romanis ſuſpicari non liceat, illos ad eam animi culturam iam adſcendisſe, prudenter legislator marito, ne, ſolo odio in uxorem ductus, in eam ſaeviret, cognatos iudices adiunxisſe ab antiquis hiſtoricis traditur, quod tamen, cum mariti poenae arbitri manerent, Romanorum barbarorum ſaevitiam non multum mi-

(1) Dion. Hal. A. R. L. 2. c. 25. Plin. Hiſt. Nat. L. 14. c. 13. Cf. Tac. de Mor. Germ. c. 19.

(2) Hiſt. Rom. L. 1. c. 8.

mitigavit, ut e posterioris temporis exemplis abunde constat.

§. 4.

De privata in uxores animadversione.

Ut ergo nonnulla exempla privati iudicii, quod in Romana republica, exactis regibus et deinceps, locum habuit, consideremus, quid quidem magis severum esse potest, quam quod a Plinio (1) notatum legimus, Egnatii Mecenii uxorem, quod vinum bibisset e dolio, *interfectam* fuisse a *marito*. Fabius Pictor in Annalibus quoque matronam, quod loculos, in quibus erant vinariae cellae claves, resignasset, *a suis inedia mori* coactam memoriae prodidit. (2) Quam vividis autem coloribus M. Porcius Cato priscorum Romanorum saevos mores in feminas pingit apud Livium, *quos ius et maiestatem* viri vocat. (3)

Illud vero nomadicum mariti imperium in uxores anno U. C. DLXVII nullo modo restrictum vel definitum fuisse e Livio patet; hic enim de feminis, quae facinorosis Bacchanalibus et nocturnis sacris initiatae erant: *Mulieres*, inquit, *damnatas cognatis*

(1) Hist. Nat. L. 14. c. 14. item Val. Max. L. 6. c. 3. §. 9.

(2) Plin. Hist. Nat. l. l.

(3) Hist. Rom. L. 34. c. 2. sqq.

tis aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent in eas. (1)

Huc quoque referri meretur mos ille nomadicus, ex quo proximi propinqui de subita morte capitis stirpis inquirunt, cuius unicum tantum exemplum apud Romanos Valerius Maximus (2) nobis servavit, quo, maritis mortuis, soli propinqui summum iudicium in horum uxores exercuerunt. Publicia enim, quod Postumium Albinum, et Licinia, quod Claudium, maritos suos, veneno necaverant, propinquorum decreto strangulatae sunt; addit autem Valerius: *Non enim putaverunt severissimi viri in tam evidenti scelere, longum publicae quaestionis tempus exspectandum.* Unde hoc quoque patet, feminarum delicta illo tempore, id est, anno U. C. DC, aliquando etiam iam publicae quaestionis fuisse, quamvis et illi, qui stirpem repraesentabant, si vellent, non aliter ac in familia nomadica iudicia capitalia exercerent, quorum ad Neronis tempora vestigia supersunt. Eo enim tempore Plautus, coram propinquis, de uxoris suae Pomponiae Graecinae, *superstitionis externae reae*, capite et fama *prisco instituto* cognovisse eamque insontem nuntiasse legitur. (3) Cessabat quoque nonnunquam hoc propinquorum consilium, quod de feminarum de-

(1) Hist. Rom. L. 39. c. 18. VAL. MAXIM. L. 6. c. 3. §. 7.

(2) L. 6. c. 3. §. 8.

(3) TAC. Ann. L. 13. c. 32.

delictis inquirebat, quum, uti videtur, marito vindicta opus esset: Cato enim (1) *si*, inquit, *maritus uxorem in adulterio deprehendisset*, SINE IUDICIO, *impune eam necare marito licebat*. Addit praeterea, quae e contrario ne minimam quidem potestatem uxoris in maritum indicant et, maritale nomadicum imperium etiam hoc tempore locum habuisse, claro demonstrant: *illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque ius est.*

§. 5.

De locatione ac venditione uxorum.

Ex eodem nomadico dominii iure, quo australis Americae et septemtrionalis Norvegiae nomades (2) pro incultis moribus illam sequuntur consuetudinem, ut uxores instar suorum canum et tarandorum ad tempus certo pretio alteri locent venundentque; Romani de uxorum pudicitia libere constituentes e veteri nomadico more ad tempus eas quoque loca-

(1) De dote, ap. A. GELL. Noct. Att. L. 10. c. 23. Cf. ULP. L. 3. §. 3. ff. de Sct. SILAN. Id. L. 2. §. 8. ad L. JUL. de Adult. L. 4. C. ad L. JUL. de Adult.

(2) FORSTER, Waarnemingen enz. bl. 410. 461. 523. H. EGEDE, Beschr. van Oud Groenl. bl. 118. W. TENCH, beschrijving van den togt naar Botany-baai bl. 103. MEINERS, Geschichte des weibl. Geschlechts 1 Th. S. 16. u. f. w. ARCHENHOLTZ, sur l'Angleterre Tom. 2. c. 1. STRABO, Geogr. L. 11. p. 515.

caverunt, (1) deinde ad se receperunt et vendiderunt. Cum vero Romanam historiam consulentes, haec quidem tantum de eiusmodi civibus narrata legamus, qui ceteris in Republica rerum gestarum magnitudine et gloria excelluere, adeoque digni habiti sunt, quorum facinora, tam publica quam privata, ab oblivione vindicarentur, quid de plebis faece aliisque pauperioribus civibus in ea re cogitandum sit, quis non perspicit? M. Cato Uticensis enim, ille Stoicae disciplinae gravis sectator, *rigidi servator honesti*, (2) Martiam uxorem, gravidam, Hortensio amico, viro magnae existimationis et moribus probatis, concessit, cum sibi iam satis liberorum esset, eamque post Hortensii mortem iterum ad se recepit. (3) Vixit autem Cato extremo septimo saeculo et ineunte octavo. (4) Quod vero omnino barbarorum morem evincit, et uxorum mutationem apud Romanos haud multum ab animalium venditione diversam fuisse edocet, quae quidem dominus mutat, si sibi videtur, alterique accipiendi conditio placet, de ipsius uxoris Marciae consensu ad has nuptias nulla quaestio inter con-

(1) Manserunt quoque inde per omne tempus nomadicae locutiones, *locare*, *collocare* et *elocare filiam virginem*.

(2) Lucan. Pharf. L. 2. v. 389.

(3) Plut. in Cat. min. c. 8.

(4) Strabo praeterea, Geograph, Ant. L. 11. p. 115., notat, Catonem in uxore collocanda *veterem Romanorum consuetudinem* fuisse secutum.

contrahentes fuit; Caesar autem maxime avaritiam Catoni exprobravit, quippe qui hoc coniugii commercio sibi quaestum parasset. (1)

Nonne vero in maiorem abripimur admirationem, quando, Romana Republica ad cultiorum morum fastigium quasi evecta, Tiberium Neronem Liviam uxorem, eamque gravidam, Augusto cessisse legimus? (2) Liviae autem consensum ad hanc traditionem etiam non necessarium fuisse, ex Dionis Cassii (3) verbis constat, qui dicit: *Elocavit ipse maritus uxorem tanquam filiam*, ad cuius nuptias consensus nubentis nomadico more non requirebatur. Quis ergo, haec uxorum commercia secum reputans, dubitare possit, quin Romani e vita prisca nomadica etiam multas consuetudines in societate civili retinuerint, quas, quamvis barbaras et e priore nomadica vita repetendas, neque reges neque posterioris temporis legislatores mutare potuere nec voluere; uxoresque adeo, stante Republica, plane in mariti dominio fuisse, et a nonnullis haud multum aliter quam servas fuisse tractatas, quibuscum pro arbitrio agere possent, satis ex allatis exemplis patere quis non videt?

§. 6.

(1) PLUT. in Cat. min. c. 22.

(2) TAC. Ann. L. 1. c. 10. SUET. in vit. Aug. c. 63. in vit. Claud. c. 1.

(3) L. 48. p. 383.

§. 6.

De variis maritalis potestatis effectibus.

Huius itaque maritalis dominii multi quoque fuere effectus, ex quibus plurimi in ipsas Romanorum leges postea transierunt, quosque hic loci breviter enumerare operae pretium quidem videtur, quia e patriarchali sive nomadicae vitae ratione originem non dubiam ducunt. Simulac, nuptiarum ritibus peractis (1), uxor in mariti domum transierat, huius familiae pars fiebat, et omnia illa iura, quae patri pro moribus suis nomadicis in liberos competebant, marito in uxorem concedebantur. (2) Hinc ei nihil proprium fuisse patet, cum omnium, quas secum adferret, rerum dominium in maritum transduceret; (3) hinc porro neque donare neque testamentum facere olim potuit; non vero, quia testamenta in comitiis calatis tum fiebant, a quibus feminae arcebantur, quae quidem proxima caussa, uti ICtis placet, non fuisse videtur; sed quia nihil habebant, de quo testamentum condere poterant. Quidquid enim uxor adquirebat, non

(1) V. infra c. 7.

(2) DION. HAL. A. R. L. 2. c. 25. MODEST. L. 1. ff. de R. N. Cf. BRISSON. Ant. 1. 18. LIV. Hist. Rom. L. 34. c. 2. sq.

(3) Coll. legg. Mosaic. et Rom. Tit. 16. ibique comment.

non ſibi, ſed marito, tanquam patri, competebat; (1) hinc tandem maritus uxori ſuccedere non poterat, (2) utpote quae olim nihil proprii habebat, quoniam cum omnibus ſuis bonis in mariti dominium transierat; ſed uxor, cum moreretur, fiebat ſua et necesſaria mariti heres (3), cum inter reliquos liberos mater vel noverca ſororis loco haberetur, (4) ita ut filia familias, quae in mariti manum convenisſet, quaſi adoptaretur, et, ſi ante nuptias emancipata fuisſet, quaſi arrogaretur, quam ob causſam maritus uxori, non aliter, quam pater filiae, in testamento tutores quoque conſtituere potuit. (5)

§. 7.

De viduarum luctu.

Quemadmodum omnes, qui nomadicae ſtirpis capiti ſubiecti ſunt, Patriarcham mortuum ob debitam reverentiam lugere ſolent, (6) Romanos quoque hanc conſuetudinem a prisca nomadica vita transtulisſe, eamque a Romulo posterioribusque legis-

(1) Cic. in Top. c. 3 et 4.

(2) Hein. Ant. Rom. L. 2. T. 9. §. 4.

(3) A. Gell. Noct. Att. L. 18. c. 6. Ulp. Fragm. T. 9. §. 1. T. 11. §. 13. T. 22. §. 14.

(4) Coll. Legg. Moſ. et Rom. Tit. 16. §. 2. Serv. ad Virg. Aen. L. 11. v. 476.

(5) Cuiac. Obſ. 7. 1. Hein. ad leg. Iul. 11, 11.

(6) D'Arvieux, reis n. d. g. Emir bl. 371.

gislatoribus confirmatam esse, mirum videri haud potest; hic enim rex sanxit, ut uxores annum, sive decem menses, maritos mortuos lugere tenerentur; mariti uxores non item, quia nulla reverentia iis a maritis debebatur, (1) sed hac, uti supra vidimus, plane ad maritorum dominium pertinebant; unde quoque Seneca: (2) *Viris*, inquit, *nullum legitimum tempus est lugendi, quia nullum honestum.* Fuisse ICtos quis ignorat, qui hoc lugendi tempus ideo a Romulo institutum interpretarentur, ne sanguinis turbatio inter primarum et secundarum nuptiarum liberos oriretur? (3) Quum vero consideramus, uxores viduas factas, quae olim intra statutum maritos lugendi tempus ad secundas transiissent nuptias, ex Numae Pompilii lege, (4) bovem foetam immolare fuisse coactas, (quae pro eo tempore gravissima poena non obscure pastoralis vitae vestigia indicat,) eas alteras nuptias contrahere potuisse, adeoque hanc poenam irrogatam non ad sanguinis turbationem, sed ad violatum honorem, ma-

(1) Ov. Fast. L. I. v. 33 L. 3. v. 133. Cf. Paul. L. 9. ff. de his, qui inf. not. Alium autem nomadicum usum, quo mulieres, uti etiam nunc apud plurimas barbaras gentes, maritis mortuis, genas raderent vultumque dilaniarent, prohibuere postea Legg. XII Tabb. Tab. X.

(2) Epist. 63.

(3) Bynkersh. Observ. L. 5. c. 12. Raevard in Var. I. 20. Cf. Puttmann Interpr. Iur. civil. c. 33.

(4) Plutarch. in Num. c. 18.

marito debitum, spectasse ultro cuique patet. Negari quidem haud potest, temporis progressu ob civiles rationes haec duo fuisse coniuncta (1); veruntamen ad secundas transire nuptias et luctum mortuo exhibere marito multum inter se differebant: etenim, si metus turbationis sanguinis hanc legem dictasset, illa certe cessasset, simulac vidua, ex priore marito gravida, peperisset, aut, id quod intra paucos menses post mariti mortem dubium esse haud poterat, hanc non praegnantem esse patuisset, cum e contrario, quamvis hoc lucide constaret, tamen secundas inire nuptias prohiberetur. Hinc quoque mulier, accepto de morte absentis mariti nuntio, licet diu iam absfuisset, annum, sive, uti postea constitutum fuit, duodecim menses exspectare maritoque *luctus religionem praestare* debebat, antequam, uti Iustinianus iussit, legitimas nuptias contrahere posset. (2) Quapropter ille mos rectius e nomadica vita et patriarchali maritorum potestate in uxores explicari potest, cuius violationem postea, cum, pro tempore et divitiis, bos foeta non sufficeret ad viduarum libidinem compescendam, infamia aliisque poenis coërcuerunt (3), nisi ab Imperatore veniam impetrasset mulier. (4)

§. 8.

(1) ULPIAN. L. 11. ff. §. 2. sqq. de his, qui inf. not.

(2) Novell. 117. c. 11.

(3) IULIAN. L. 1. ff. de his, qui inf. not. L. 1 et 2. C. de sec. Nupt. L. 4. C. ad. Set. TERTULL. Novell. 220.

(4) PAUL. L. 10. ff. de his, qui inf. not.

§. 8.

De perpetua feminarum tutela.

E iure, quod Patriarcha in omnes exercet, qui ſuae ſtirpi ſubiecti ſunt, oritur nomadica conſuetudo, quae quamvis non quidem ad ſolas uxores ac filias, ſed ad quascunque feminas ſpectet, hoc loco commode tamen obſervanda videtur, qua feminarum conditio apud Romanos plane nulla fuerit, quia per totam vitam in perpetua tutela vivebant (1), ita ut merito dixerit, quisquis ille conſolationis ſcriptor fuerit, quae inter Ciceronis opera refertur (2): *Sed magna certe vel hoc uno nomine feminarum miſeria est, quod, quamdiu vivunt, parere ſemper coguntur. Aut enim innuptae parentibus et affinibus, aut nuptae maritis* PARENT *et* SERVIUNT. Nam cum iure nomadico liberi masculi in mortui patris iura ſuccedant, novasque conſtituant familias, ſorores, quia apud nomadicas gentes feminae nunquam ſtirpium capita fieri posſunt, id quod ad viros ſolos pertinet, e patris poteſtate in fratrum recidunt, et in ea manent, donec matrimonio petantur. Non aliter quoque apud Romanos, ex eodem iuris nomadici tenore, ſemper *patrum*, *cognatorum*, vel, ſi haberent, *maritorum* poteſtati

(1) Liv. Hiſt. Rom. L. 34. c. 2.
(2) Tom. 7. p. 1148. Edit. Ern.

ti obnoxiae fuerunt feminae, adeo quidem, ut ne privatas quidem res olim valide fine auctore agere possent; (1) sed suis negotiis valorem conciliare obligarentur consilio et consensu eius, sub cuius tutela vivebant, donec, imperante Augusto, hoc fine auctoritate tutorum suas res agendi beneficium nonnullis fuerit concessum (2), atque ita sensim ac leniter *muliebris tutela* obsoleverit, quamvis eius vestigia adhuc Antoninorum, Alexandri Severi et Constantini, quin etiam Leonis Primi tempore (3) inveniantur obvia, adeoque circiter quinquaginta annos ante Iustinianum Imperatorem.

Iam vero, si hoc perpetuum in foeminas dominium consideramus, facile explicari potest, cur hae, tam veteri quam novo iure, ab omnibus civilibus ac publicis arcerentur officiis (4), tum quia, ut ait Co-

(1) Liv. Hist. Rom. l. l. Ulpian. Fragm. Tit. 2. §. 25 et 29.

(2) Dio Cass. L. 49. p. 414. Id. L. 55. p. 549. Ulpian. Fragm. Tit. 11. §. 1. ibique Schult. Cf. Cicer. pro Muraen. c. 12.

(3) Otto de perp. fem. tut. diss. §. 5. sqq. Hein. Ant. Rom. L. 1. Tit. 13. §. 24.

(4) Etenim feminas iure novo ad obstetricis munus fuisse admissas, si quis obiiciat, hoc ideo iis concessum cogitet, quia in curandis corporis partibus occupatae erant, quas verecundia facilius feminis quam viris medicis detegere permittit. Cf. L. 9. ff. ad L. Aquil. Item Ulpian. L. 2. ff. de R. I. Id. L. 3. §. 3. ff. de Mun.

Columella (1), *earum opera ad domesticam erat comparata diligentiam*, tum vero, quia solum stirpis caput haec munera obibat, in cuius potestate ac dominio feminae erant.

Mun. et Honor. Cf. PAUL. L. 12. §. 2. ff. de Iud. ULPIAN. L. 1. §. 5. ff. de Post. L. 21. Cod. de Proc.

(1) De Re Rust. Praef. L. 12.



C A-

CAPUT QUINTUM.

DE POTESTATE DOMINORUM IN SERVOS.

§. 1.

De origine servorum apud Nomadas.

Servitutem a vita pastorali nomadica non alienam esse et vetustissimorum populorum historia satis probat, (1) et ipsum vitae genus aperte indicat. Ferum enim animal captum et mansuefactum hominem, qui, barbara vita relicta, rei studebat pecuariae, alebat eique fructuosum erat, et ipsum quoque hostem captum, non occidendum, sed servandum inque suum usum adhibendum docebat, quippe cuius manus in re pecuaria maximae utilitatis esse poterant. (2) Praesertim vero maius servorum perspicitur commodum, quum nomadicae gentes iam ad agricultionem quodammodo transierunt. Patriarcha enim omnia arripit, ut e solo, in cuius vicinia oberrat, maius emolumentum capiat, quod mul-

(1) Tac. de Mor. Germ. c. 20. Moses L. 3. c 25. c. 44. sq.

(2) F. A. Carus, Ideen zur Geschichte der Menschh.

multis laboris fociis cum facilius procedat, nullam occafionem augendae familiae praetermittat, necesfe est.

§. 2.

De ftatu fervorum apud Romanos.

Romanos itaque nomades, Romulo duce, in civile vitae genus transeuntes, iam fervis ufos fuisfe admodum verifimile videtur, quamvis nulla de iis ab antiquisfimis hiftoricis mentio facta fit. Etenim quum confideramus, iam ftatim, aperto a Romulo afylo, multos fervos e vicinis gentibus Romam confugisfe (1); fane mirum esfe haud potest, ipfis Romanis etiam hoc hominum genus fuisfe. Illos autem initio non tam dura vitae conditione, quam posteriore tempore, ufos fuisfe, ex primis rebus, quas de iis memoriae proditas legimus, liquido conftat. Nam, ut filentio praeteream, Servium Tullium, e ferva natum, ipfumque teneris annis fervum, in regis Tarquinii Prisci aula educatum, non tam abiectae conditionis habitum fuisfe, quin, regia filia ducta uxore, ad Romae regnum adfpiraret ipfumque occuparet, (2) olim omnes fervi *familia* dicti funt, hosque, quamvis patriarchali iure in eos quoquo modo pro arbitrio animadvertere posfent, hu-

(1) Liv. Hift. Rom. L. 1. c. 8.
(2) Idem L. 1. c. 39 et 47.

humanius tamen tractaverunt, quam posteriores, divitiis aucti luxuriaque corrupti Quirites, de quibus Iuvenalis, in sui temporis vitia invectus, hoc memorabile nobis servavit, uxorem, quae antea a priscis Romanis ipsa tractabatur instar servae, nunc vero marito imperabat, commemorans: (1)

Pone crucem servo. — Meruit quo crimine servus
Supplicium? Quis testis adest? Quis detulit? Audi.
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est. —
Demens; ita servus homo est? Nil fecerit, esto;
Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Quam aliter vero Seneca (2) de priscis Romanis nondum cuiusvis generis vitiis deperditis, *omnem*, inquit, *invidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerunt. Dominum patrem familiae appellaverunt, servos familiares. Instituerunt diem festum, quo non solum cum servis domini vescerentur, sed quo utique honores illis in domo gerere, ius dicere permiserunt et domum pusillam rempublicam esse iudicaverunt.*

§. 3.

(1) IUVEN. Sat. 6. v. 219. sqq. Cf. PLUT. in Coriol. c. 17.
(2) Epist. 47.

§. 3.

De diminuta nomadica potestate in servos.

Dominorum igitur potestatem in servos apud Romanos e vita prisca nomadica derivandam esse, satis perspicuum est; exstant enim nullae leges, quibus eiusmodi imperium in servos Romanis postea concessum fuit. Moribus autem hoc consentaneum fuisse inde patet, quia nullus legislator illud ius, quo de servis, tanquam de re, libere statuere possent, quamvis saepius in hoc hominum genere vexando et cruciando humanitatis leges violarent, ullo modo coërcuerit, aut circumscripserit; quod quidem mirum videri haud cuiquam potest, cum id ad domesticum patris Romani imperium pertineret, in quo non nisi sero ullam circumscriptionem atque moderationem passi sunt: (1) tum enim, quum Romani libertatem, antea tanti aestimatam, plane amisissent, multa in favorem servorum, diu vexatorum, introducta sunt ab iis Imperatoribus, quibus illa saevitia perditorum hominum displicebat, quamquam ipsa servitus nunquam sublata fuerit.

(1) Senec. de Ira. L. 3. c. 40.

CAPUT SEXTUM.

DE GENTILITIIS SACRIS ET IURE.

§. 1.

De gentilitiorum ſacrorum origine nomadica.

Omnes nomadicae gentes ſuos habent deos atque ſua ſacra, quae vel ſoli ſuae ſtirpi propria ſunt, vel quae cum compluribus aliis communia habent, ſive ipſi ea ſibi praeſcripſerint, ſeu a maioribus traditos deos ſolenniter colere eorumque ſacra obire pergant (1). His autem cuiusque ſtirpis caput cum ſemper praeſit, dum tota eius familia iis adesſe debet, non immerito ſuae gentis ſacrorum ſacerdos dicitur (2). Non aliter ſingularum familiarum ſacra, quae Romani e nomadica vita, in civilem transeuntes ſocietatem, habuerunt, orta ſunt (3) et cuique familiae in illa civitate tam propria manſerunt, ut posteriore quidem tempore neque ab iis ſeparari, neque a legislatoribus abrogari potuerint (4). Quis e-

(1) V. ſupra *Sacra publ.* §. 1.

(2) Cf. Tac. de Mor. Germ. c. 10.

(3) Cic. pro domo c. 6. Festus in voc. *publica ſacra.*

(4) Cic. de Leg. L. 2. c. 9. extr.

enim non in memoriam redit *familiarium larium* et *Penatium* multitudinis, quos Romae quaeque gens atque adeo omnes illae familiae, quae ex illa gente originem ducebant, tanquam proprios et privatos deos habuerunt, et divino profecutae funt honore, in quibus colendis proprios fequebantur ritus.

E nomadica ergo vita derivanda funt quoque *gentilitia facra*, quibus *ius gentilitium* apud Romanos originem debet.

§. 2.

De Sacris gentilitiis apud Romanos.

Omnis familia, quae ad idem ftirpis caput referebat genus, eiusdem gentis erat; diverfaeque familiae, quae ad communem ftirpem five patriarcham pertinebant, *gens* dicebantur (1), et uti a primo gentis auctore *nomen* deducebant (2), fic et eiusdem ftirpis *facra* et *iura* femper inter fe communia habebant posteri, eaque diligentisfime fervare familiae ftudebant (3). Ad haec autem *gentilitia facra* peragenda Romani fe tam obftrictos arbitrabantur, iisque omni tempore tantam religionem ex-

(1) Sext. Pomp. Festus in voce *gens*. Cf. Liv. Hift. Rom. L. 9. c. 29. et Hein. Ant. Rom. L. 3. T. 12. Ulp. L. 195. ff. de V. S. §. 2.

(2) Cf. Liv. Hift. Rom. L. 1. c. 3.

(3) Cic. pro Dom. c. 13.

exhibebant, ut, quamvis publicorum ſacrorum contraria esſent, ſicuti Bacchanalia, tamen publica auctoritate celebrari permitterentur, dummodo privata esſent, et quisquam ſine piaculo ea omitti non posſe affirmasſet, quoniam haec ſacra, tamquam hereditatis pars, heredem ſequebantur, quae negligere impium erat: erant enim publicis legibus confirmata, quoniam leges XII. Tabularum iubebant: *Sacra privata perpetua manento* (1). Nec immerito hinc Valerius Maximus (2) *filium* vocat, *quem pater ad generis penetraliumque ſacrorum ſucceſſionem propagandam genuit.*

Praeerant autem his gentilitiis ſacris, uti inter nomadicas gentes, patresfamilias, utpote ſtirpis ſacerdotes, (3) et, ſi familiae magnae gentisque ſacra multa esſent, gens privatos habebat ſacerdotes, haec ſacra administrantes. (4) Semper autem curabat Pontifex Maximus, ne ſacra privata pollurentur vel intermitterentur (5).

§. 3.

De iure Gentilitio.

Gentilitium igitur *ius*, quod e prisca vita nomadica per omne reipublicae tempus tanta diligentia Ro-

(1) Cic. de Legg. L. 2. c. 9. extr.

(2) L. 2. c. 7. §. 6.

(3) Liv. Hist. Rom. L. 5. c. 46.

(4) Reines. Inſcr. 5. 53.

(5) Macrob. Sat. L. 1. c. 16. Liv. Hist. Rom. L. 5. c. 52.

Romani servarunt, continebat ius succedendi in gentis bona, quo iure aliquid cuiquam concedebatur, quia erat eiusdem gentis; unde agnati ad alterius familiae bona vocabantur: iubent enim Leges XII Tabb., (1) *si intestato moritur, cui suus heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto; si agnatus nec escit, gentilis familiam heres nancitor.* Quum itaque in aliqua familia is deficeret, qui defuncti heres esse posset, tum hereditas in eum eosve transibat, qui quidem alias constituebant familias, sed ita tamen, ut ad eundem auctorem gentis, e qua defunctus oriretur, genus referrent: (2) Si autem *agnati* deficerent, tum *gentiles*, ut pote remotioris sanguinis, sed eiusdem gentis, vocabantur heredes. (3)

Porro ex eodem gentilitio iure impuberum tutela, si pater de ea non prospexisset, proximis impuberis agnatis, iisque deficientibus, gentilibus deferebatur. (4) Praeterea verba, *si furiosus aut prodigus exsistat, ast ei custos non escit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave eius potestas esto* (5), huc spectant. Hinc explicanda quoque est *substitutio vul-*

(1) Tab. 5. Coll. Legg. Mosaic. et Roman. Tit. 16. §. 4.

(2) Ulp. L. 195. ff. §. 1. de V. S.

(3) Ulp. Fragm. Tit. 26. §. 2. Cic. Top. C. 6.

(4) Legg. XII. Tabb. Tab. 5. Coll. Legg. Mosaic. et Rom. l. l.

(5) Leg. XII. Tabb. Tab. 5.

vulgaris, qua pater ex suo iure nomadico impuberibus heredem scribebat, si forte filius ante, quam testamentum facere ipsi licebat, moreretur, ne gentis suae sacra tum perirent, quae servari omni cura gens studebat, quaeque *substitutio* ideo a Plinio *sacrorum societas* dicitur (1). Ex eodem iure gentilitio sacrorum detestationes in Curiatis fiebant comitiis, id est, denuntiationes, ut heres sacra, quae hereditatem sequerentur, susciperet.

Qui in aliam familiam transibat, suaeque familiae sacra amittebat, ad haec admittebatur; unde uxor, quae in mariti manum convenerat, sua sacra cum mariti permutabat. Ergo in Gordiani Imperatoris Rescripto uxor vocatur, *quae socia rei humanae atque divinae domus suspicitur* (2), et nuptiae in iure *divini atque humani iuris communicatio* dicuntur (3). Tandem *adoptivus* et *arrogatus*, suae familiae sacris relictis, in alterius gentis sacra transibat; quod ideo non temere nec inexplorato apud Romanos fiebat, sed lex de arrogando, arbitris pontificibus, Curiatis comitiis relinquebatur (4). Haec autem *iura gentilitia*, eorum-

(1) Paneg. C 37. §. 2.

(2) L. 4. C. de crim. expil. her.

(3) Modestinus L. 1. ff. de R. N.

(4) A. Gell. Noct. Att. L. 5. c. 19. Cic. pro Dom. ad Pont. c. 14.

rumque effectus, quamvis Iulii Caesaris tempore adhuc vigerent, (1) Ulpiani ICti tempore non amplius in usu fuisse abunde constat (2).

§. 4.

De nominibus e vita pastorali oriundis.

Romanarum gentium ac familiarum nomina, quamvis e nomadica vita proxime videantur desumta, non tamen per se Romanos nomades fuisse indicant, cum apud omnes populos multa nomina inveniantur, quae eodem modo ad nomadicam vitam referri possint, quia eorum significatio e pastorali vita petita est. Si autem, uti supra demonstravimus, Romani ante U. C. re vera iam nomades fuerint, tum facilius in ipsis horum nominibus priscae eorum vitae vestigia deprehendere licebit, et ea nomadicae, quam antea egerunt, vitae originem debere statuere, praesertim cum multa inveniantur, quae mirum in modum huic vitae congruant: quemadmodum enim ipsum vocabulum *pecunia*, quae primum mercibus permutandis inserviit, quae permutatio ante emtionem et venditionem apud Romanos in usu fuit, (3) a pe-

(1) Cic. de Orat. L. 1. c. 38. Suet. Iul. Caes. vit. C. 1.

(2) Ulp. Fragm. Tit. 26. §. 1.

(3) Paulus L. 1. ff. de Contr. Emt.

pecude, id est, ab ovium, boum vel ſuum effigie, qua erat a Servio Tullio primum notata (1), originem et nomen deducit, et omne patrimonium olim apud priscos Romanos *peculium* vocatum est a pecoribus, quibus univerſa eorum bona conſtabant (2), cum diu in Urbe, non, ut antea, erraticam, ſed pastoralem ſequerentur vitam (3); ſic etiam quam plurima vetustisſimarum atque adeo nomadicarum ſtirpium nomina, quibus ſe a reliquis pastoribus distinguerent, e vita pastoritia deſumta fuisſe certo conſtat: nam, ut omittam, *Piſonum*, *Lentulorum*, *Fabiorum Ciceronumque* nomina ex agricultura, cui post paſtoralem vitam imprimis ſtuduerunt, esſe derivanda, ut quisque aliquod horum leguminum genus optime terebat (4), Plutarchus refert, (5) Romanos a bubus, ovibus et ſuibus *Suilliorum*, *Bubulcorum*, *Caprariorum*, *Porciorumque* nomina ſuis filiis impoſuisſe. Quid porro de *Verre* dicam, de *Aſinio*, *Lanato*, *Vaccio*, aliisque compluribus Romanorum nominibus et cognominibus, quae non obſcure e pastoria vita ſuam originem produnt. Cum hoc ita-

(1) PLIN. Hist. Nat. L. 18. c. 3. VARRO de Re Rust. L. 2. Colum. de R. R. L. 6. praef. VARRO de Ling. Lat. L. 4. PLUT. in Poplic., fere princ.

(2) PLUT. in Popl., Serv. ad. Virg. Ecl. 1. v. 33.

(3) Cf. ſupr. Introd. Cap. 3 §. 5.

(4) PLIN. Hist. Nat. L. 18. c. 2.

(5) In Popl. princ., et Quaest. Rom. 40.

itaque tam manifestum sit, ut de eo dubitari haud possit, recte M. Varro, (1) *Romanorum*, inquit, *populum a pastoribus esse ortum, quis non dicit? — Nomina multa habemus ab utroque pecore, a maiore et minore; a minore, Porcius, Ovinius, Caprilius; sic a maiore, Equitius, Taurius, cognomina adsignificari, quod dicuntur, ut Anni* CAPRAE, *Statilii* TAURI, *Voconii* VITULI, *sic a pecudibus alii multi.* Si igitur ipsi Romani ea nomina e vita nomadica deduxerunt, quidni his ducibus idem statuere nobis licebit?

(1) De Re Rust. L. 2. c. 1.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

DE RITIBUS NUPTIARUM NOMADICIS.

§. 1.

De ritibus nuptialibus, e vita pastoritia petitis.

In nulla re tot priscae nomadicae vitae vestigia per omne tempus reipublicae Romanae remansisse, quot in nuptiarum ritibus, non immerito observatu dignum videtur; mirum tamen hoc cuiquam esse haud potest, qui sciat, Romanos in privatis rebus nullam nomadicae libertatis circumscriptionem, nisi quae publicae noceret libertati, esse passos, eosdemque mores, quos ante U. C. a re pecuaria et pastorali vitae ratione habuissent, in feros posteros propagare potuisse. Quanquam autem nonnullae consuetudines in nuptiis celebrandis ex agricolarum vita potius, quam e pastorum, desumtae videntur, tamen in memoriam revocandum hoc loco est, quod supra diximus, nunquam fere nomadicum vitae genus eiusmodi fuisse, ut solum aut pastores aut agricolae essent gentes; sed alterum cum altero plerumque coniunctum ubique inveniri, atque adeo

Romanos, quamvis antea errabundos cum gregibus et armentis, nihilominus terram, ubi oberrarent, quodammodo coluisse, mox vero locum mutantes aliis eum colendum reliquisse, ficuti hoc etiam nunc inter multas nomadicas gentes, quae erraticam vitam sequuntur, locum habere abunde constat. (1)

§. 2.

De ritibus, ab OVILLO *pecore ortis.*

Ut itaque a ritibus, qui, ab ovibus desumti, diutissime apud Romanos in usu fuerunt, nec dubia prioris nomadicae vitae signa indicant, incipiamus, solebat *nova nupta mulier in pelle lanata considere*, vel propter vetustum morem, uti Plutarchus refert, quia antiquitus homines animalium pellibus induti (2), quo nomadicae vitae memoriam renovabant, oberrabant, vel quia nova nupta hoc modo testabatur, se lanificii officium novo marito praestituram. Etenim, quemadmodum apud omnes vetustissimas no-

(1) IUL. CAES. de Bell. Gall. L. 6. c. 22. F. A. CARUS, Ideën zur Geschichte der Menschh. S. 271. u. f. w.

(2) PLUT. Quaest. Rom. 31. SEXT. POMP. FEST. de V. S. in voc. *pellem habere.*

nomadicas gentes (1) feminas in lanificio occupatas fuisse memoriae prodiderunt scriptores, et etiam nunc Arabum aliarumque erraticarum gentium mulieres *lanificae* commemorantur (2), sic quoque apud priscos Romanos lana ac tela inter honestissima uxorum opera referebantur, (3) unde iam in foedere, inter Romanos Sabinosque percusso, hanc legem fuisse constat, ut ab omni opere ac ministerio liberae essent raptae virgines, praeterquam a lanificio. (4) His ergo temporibus hicce feminarum labor vel tam *necessarius* videbatur, ut ab earum officiis separari haud posset, vel tam *honestus*, ut ab eo suas filias, Romanorum uxores factas, liberari ipsi parentes nollent, vel forsitan utrumque locum habebat.

Sponsa autem, in sponsi domum introducta, *vellus* non tantum *substernere* solebat, sed etiam *colum*, *fusum* ac *lanam* secum importabat, sponsique ianuam *lana* coronabat (5), quo respexit Lucanus (6), cum dicit;

Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Quan-

(1) Prov. SALOMONIS c. 31. c. 13 15. 19.

(2) D'ARVIEUX, Reis n. d g. Emir bl. 274. NIEBUHR, Reize 2 Deel bl. 390. SHAW, Reize 1 Deel bl. 337. 340.

(3) Ov. Fast. L. 2. v. 742. Iuven. Sat. L. 6. v. 289.

(4) PLUT. Quaest. Rom. 31.

(5) PLUT. l. l.

(6) Pharf. L. 2. v. 355.

Quanto autem in honore haec instrumenta fuerint, patet, cum, teste Plinio (1), *lana in colo* et *fuso Tanaquilis in templo Sangi duraverit, factaque ab ea toga regia, qua Servius Tullius fuerat usus.*

Ante vero quam domum intrabant novae nuptae, mulieres postes *lana* et *adipe lupino* (2) *inungere* religiosissimum ducebant, ne quid mali medicamenti inferretur. (3) Plinii autem tempore *lupinus* adeps non amplius erat in usu, sed *suillo* uti solenne erat: (4) porca enim a Veteribus novis nuptis mulieri-

(1) Hist. Nat. L. 8. c. 74. Non tamen verisimile est, quod Plinius addidit, *inde factum esse, ut nubentes virgines comitaretur colus comta et fusus cum stamine.* Nam quum lanificium iam ante U. C. inter nomadicas Italiae gentes sine dubio in usu fuerit, et a primis certe reipublicae temporibus inter honestiora feminarum munia referatur, verisimilius videtur, eas quoque e paterna domo instrumenta, quae a teneris ad lanam usurpassent, secum in sponsi domum transtulisse.

(2) Cur ad haec solennia *adipe lupino* usae fuerint, non difficile est explicatu apud gentes, quae rem pecuariam tractabant. V. supra p. 12.

(3) Plin. Hist. Nat. L. 28. c. 37. Unde ipsae uxores, *quasi unxores*, nomen habent, quibus inunctionibus *Unxia dea* praefuit, quo nomine Iuno fuit insignita. Arnob. 3 et 7. Mart. Cap. 2 cf. Donat. ad Terent. Hec A. 1. S. 2. ibique Ennius laudatus.

(4) Plin. Hist. Nat. l.l.

ribus immolabatur, quia nullum est animal adeo libidini deditum (1).

§. 3.

De ritibus, a BUBULO *pecore derivandis.*

A bubus, qui inter Romanos nomades magni pretii fuerunt, ritus quoque invaluit mansitque diutissime, ut ante mariti aedes, boni ominis caussa, nubentes virgines interrogatae, quaenam essent, responderent, *ubi tu Caius, ego Caia*, (2) quae formula sine dubio e vita nomadica originem ducere videtur; *Caius* enim, sive *Gaius*, uti Antiqui scribebant, a Graeco vocabulo *γαῖος*, bos operarius exponitur (3). Sive ergo vocem *Gaius* ad prolem, sive ad opera rustica referas, hoc certum est, sive e prisca vita petitam et a bubus ad homines translatam

(1) EUSTAT. ad Hom. Iliad. τ. in voc. *καὶ γὰρ χοῖρος.* Unde et mulieres, maxime nutrices, naturam, qua feminae sunt, in virgine appellabant *porcam*, et Graeci *χοῖρον*, significantes, illam esse dignam insigni nuptiarum, teste VARRONE de Re Rust. L. 2. c. 4.

(2) Quam incerti ipsi Romani fuerint, quid haec verba significarent, patet ex PLUTARCHI Quaest. Rom. 30., et VAL. MAX. L. 10. Epit.

(3) *ὁ ἐργάτης βοῦς.* Hesych. in voc. *γαῖος.* et Auct. Etym. Magn. EUSTAT. ad Hom. Il. β. p. 188., ab antiquo *γάω*, idem, quod *τίκτω*, pario.

tam esse (1) atque adeo, quum sponsa diceret, *ubi tu Caius*, *ego Caia*, nihil aliud significasse videtur, quam *ubi tu iugis*, *ibi ego et iugis ero*, id est, me fore tibi iugi sociae, ubi tu fueris coniux, sive matrimonii iugum mecum portaveris, promitto; qui enim olim matrimonio iungebantur, iugum illis (2), quo duo boves constructi opus faciunt, fuit impositum, ut hoc signo admonerentur, matrimonio coniunctos ad sociandos omnes vitae labores esse obligatos, (3) atque inde quoque maritus et uxor propter iugum (4), vel a bubus iugibus (5) *coniuges* appellabantur, et *vincula iugalia* aeque de bu-

(1) Hinc quoque est, quod ait Columella, L. 6. Praef.: *Bovis apud Antiquos tanta fuit veneratio, ut tam capitale esset bovem necasse quam civem.* Nosmet ipsi ab his iumentis adeoque ex vita rustica deducta nomina insigniorum coniugum habemus, *Gemaal*, *Gemalin;* venit autem a *mael*, *male*, Latinis *iunix*, quae vox adhuc in patria nostra, maxime in Gelria, in usu est: *Malen* enim, sive *Melen*, *Mellen*, fuit Sicambris *coniugium inire*, unde etiam nunc Theodiscis est *vermaelen*; sic et *maelschat*, sive *melschat*, olim apud nostrates dotem significavit, KIL. Lex. in voc.

(2) Unde Iunonem *Iugam* dixerunt. SEXT. POMP. FEST. in voc.

(3) Cf. TACIT. de Morib. Germ. c. 18.

(4) ISIOD. ORIG. L. 1. c. 1. cf. SERV. ad VIRG. Aen. L. 4. c. 16.

(5) SEXT. POMP. FEST. in voc. *iuges*.

bubus ac hominibus usurparunt Romani, uti feminam *iuvencam*, (1) virum *taurum* dixerunt. Quo respiciens Horatius de Lalage amica cecinit (2):

Nondum subacta ferre *iugum* valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare, nec *tauri* ruentis
In venerem tolerare pondus.

(1) Ov. Heroid. 5. v. 117.
(2) L. 2. Od. 5. cf. Petron. c. 25. ibique Burmann.

TANTUM.





